DE ELOCVTIONE
ARATI SOLENSIS POETAE.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM CONSENSV ET AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CVM VITEBERGENSI CONSOCIATA AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE IMPETRANDOS A. D. III. ID. MAI. A. MDCCCLXIV HORA XI IN AVDITORIO MAXIMO VNA CVM THESIBVS A SE PROPOSITIS PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

VICTOR IVLIVS LOEBE

SAXO - ALTENBVRGENSIS.

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT:

H. WALTHER, PHILOL. STVD.
B. SVPHAN, PHILOL. STVD.

HALIS SAXONVM

TYPIS EXPRESSVM ORPHANOTROPHEI.

PARENTIBVS CARISSIMIS AC DILECTISSIMIS

HASCE STVDIORVM PRIMITIAS

PIO GRATOQVE ANIMO

OFFERT

AVCTOR.

PRAEFATIO.

Arati Solensis carmen bipartitum cui inscribitur Phaenomena et Diosemea elegi, in quo accuratius tractando et ad grammaticam criticamque rationem perquirendo et explorando operam meam et studium collocarem. quid uero sit quod ad Alexandrini temporis quod uocatur poetam et Solensem quidem ex ea ciuitate natum, quae uitiosum propter sermonem male a uiris grammaticis audiebat, ad Aratum dico studia mea contulerim, ne cui mirum uideatur esse, Arati carmen non solum ab ipsis Graecis plurimi aestimatum et laudibus est ornatum [1]), uerum etiam Romanis probatum est [2]) ita ut constet ter quaterue in latinum sermonem esse uersum [3]).

---

1) Cf. Schol. Lucian. Pisc. c. 19 (tom. IV. p. 95 ed Iac.) *Σολεὺς μὲν γὰρ Ἄρατος ὢν Ἑλληνικῇ παιδείᾳ τοσοῦτον διήνεγκεν, ὥστε τὰ Φαινόμενα Ἑλλάδι φωνῇ γράψας ἐθαυμάσθη.* Ptolemaei epigramma seruatum in uita Arati I. ed. Buhl. uol. II. p. 433. *Πάνθ' Ἡγησιάναξ τε καὶ Ἑρμίππος τὰ κατ' αἴθρην* || *Τείρεα, καὶ πολλοὶ ταῦτα τὰ φαινόμενα* || *Βίβλοις ἐγκατέθεντο. ἀπὸ σκοποῦ οὐδ'* (ex emend. Bergkii) *ἀφάμαρτον·* || *Ἀλλὰ τὸ λεπτολόγον* (e coni. Meinekii) *σκῆπτρον Ἄρατος ἔχει.* 2) Ouid. Am. I. 15. 15 sq. Nulla Sophocleo ueniet iactura corthurno; || Cum sole et luna semper Aratus erit. Cic. de Orat. I. 16. 69. 'constat inter doctos hominem ignarum astrologiae ornatissimis atque optimis uersibus Aratum de coelo stellisque dixisse.' et inest etiam laus in Quintiliani uerbis (X. l. 55.) 'Arati materia motu caret, ut in qua nulla uarietas, nullus affectus, nulla persona, nulla cuiusquam sit oratio; sufficit tamen operi, cui se parem credidit.' cf. Plin. ep. V. 6. s. fin.

3) P. Terentius Varro Atacinus, Cicero, Domitianus, Rufus Festus Auienus.

Sed nostrum saeculum huic poetae minus uidetur fauere; desiderantur enim nouae librorum manu scriptorum collationes, desunt fere obseruationes criticae[4]) et grammaticae, requiritur noua editio commentariis instructa. nam neque Buhlii editio neque Bekkeri amplius satisfaciet uiris doctis, quarum editonum illa textum qui uocatur non paucis locis audacius contra omnium librorum auctoritatem et tacente quidem commentario habet immutatum, haec neque apparatum criticum praebet plenum neque scholia exhibet integra. in reliquis uero editionibus Vossii et Buttmanni notas inuenies sane utiles sed rariores. Quare iam ut studiorum Arateorum nouum initium sumeretur monente Bernhardyo (Hist. Litt. Gr. II. 2. p. 632. n.)[5]) eam suscepi prouinciam, ut de elocutione Arati paullo accuratius dissererem. cui proposito ita potissimum satisfacere me posse putaui, ut ea quae Aratus ab Homeri Hesiodique sermone haberet aliena colligerem, collecta in ordinem redigerem et ad singulas formas et uerba paucis demonstrarem, utrum in rebus nouandis fuerit felix necne, quam analogiam sit secutus, quae errauerit, quae sibi indulserit soloeca, alia. At est fortasse qui quaerat ex me, nonne potius, ut cum solius Hesiodi poetae didactici sermone comparetur Aratea elocutio, rei natura uideatur requirere. Et hanc quidem rem iam antiquitus fuisse controuersam apparet ex uitae Arati descriptionibus I. et II. (Buhl.), in quibus controuersiis ut disceptare et ueterum illorum hominum doctorum inter se dissidia componere conemur, oportet antea partes audiamus. in I. enim uita leguntur haece: *γέγονε δὲ Ἄρατος ζηλωτὴς Ἡσιόδου ὡς καὶ Καλλίμαχος παρεσημήνατο ταῦτο διὰ τοῦ εἰς αὐτὸν ἐπιγράμματος οὕτως·*

---

4) Cf. Maur. Schmidt Philol. IX. p. 397. 'erwägt man ferner die klagen der ersten uita bei Buhle II. p. 453, dass maler, astronomen, feldmesser das gedicht um die wette nach ihrem kopf verunglimpften, so wird die behauptung nicht auffallen, dass noch viele stellen des textes trotz der codd. Vatt. Par. Pal. ihres oedipus harren und einer auf kenntniss des aratischen sprachgebrauchs basirten coniecturalkritik anheimfallen.

5) eius haeç sunt uerba. die so merkwürdige poetische grammatik des Arat wartet noch immer auf eine monographie, deren sie werth ist.

Ἡσιόδου τόδ' ἄεισμα καὶ ὁ τρόπος· οὐ τὸν ἀοιδῶν
    Ἔσχατον, ἀλλ' ὀκνέω μὴ τὸ μελιχρότατον
Τῶν ἐπέων ὁ Σολεὺς ἀπεμάξατο. χαίρετε λεπταὶ
    Ῥήσεις, Ἀρήτου σύντονος ἀγρυπνίη.[6])

contra in uita II. de hac re haec insunt uerba: ζηλωτὴς δὲ ἐγένετο τοῦ Ὁμηρικοῦ χαρακτῆρος κατὰ τὴν τῶν ἐπῶν σύνθεσιν· ἔνιοι δὲ αὐτὸν λέγουσιν Ἡσιόδου μιμητὴν γεγονέναι· καθάπερ γὰρ ὁ Ἡσίοδος ἔργων καὶ ἡμερῶν ἀρχόμενος τῶν ὕμνων ἀπὸ Διὸς ἤρξατο λέγων· Μοῦσαι Πιερίηθεν, ἀοιδῆσι κλείουσαι· οὕτω καὶ ὁ Ἄρατος τῆς ποιήσεως ἀρχόμενος ἔφη· ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα· τά τε περὶ τοῦ χρυσοῦ γένους ὁμοίως τῷ Ἡσιόδῳ. Βοηθὸς δὲ ὁ Σιδώνιος ἐν τῷ ά περὶ αὐτοῦ φησιν οὐχ Ἡσιόδου ἀλλ' Ὁμήρου ζηλωτὴν γεγονέναι. τὸ γὰρ πλάσμα τῆς ποιήσεως μεῖζον ἢ κατὰ Ἡσίοδον. quibus uerbis adstipulatur etiam Suid. Lex. s. u. Ἄρατος· — φαινόμενα, ὧν θαυμάσιος ἡ εἰσβολὴ καὶ ὁ ζῆλος Ὁμηρικός. Vix erit opinor quin facile intellegat hac argumentandi ratione, Aratum, quia inchoauerit carmen a Ioue eodem modo quo Hesiodus et quia uterque de aetate aurea cecinerit, imitatum esse Hesiodum nullam audaciorem posse excogitari. Callimachum uero ut his uerbis uteretur nulla alia caussa commouisse uidetur, quam quia illo tempore longum post interuallum primus exstitit Aratus renouans Hesiodei carminis genus didacticum. Insunt sane etiam in nostro carmine non pauca quae legenti Hesiodeam dictionem in memoriam reuocant[7]), sed multo maior meo iudicio eorum est numerus, quae Arato cum Homero communia absunt prorsus ab arte Hesiodea. Contra posset aliquis in eam adduci opinionem Aratum imitari Homerum neque attingere Hesiodum, et is afferret fortasse eam caussam, quod traditur noster de Homero et Iliade scripsisse (uit. I. p. 432 Buhl.), immo dior-

---

6) interpretatur haec nouissima uerba uitae auctor III. ἀγρυπνία τῆς τῶν φαινομένων θεωρίας διὰ τὴν παρατήρησιν. Ceterum accuratius disseruit de hoc epigrammate Ernesti. ad Callim. uol. I. p. 333 sqq.

7) cf. Maur. Schmidt Philol. IX. p. 572 'wegen der liebhaberei des Arat den Hesiod zu copiren.'

thosin Odysseae fecisse[8]). Sed cum neque constet utrum Athenis, quo ad audiendos philosophos sese contulerat an Pellae, ubi inde ab Olympiade fere CXXIV. apud Antigonum Gonatam degebat[9]), his studiis Homericis se dederit, neque sciamus quo fere anno a Macedonum rege iussus nostrum carmen composuerit, hoc argumentum ad defendendam illam sententiam nihil ualere luce est clarius. quae cum ita sint nihil restat nisi ipsum carmen, quod si quis diligentius et accuratius perlegerit, adstipulabitur Boetho illo Sidonio; Homero enim multa accepta refert, ut alii quoque didactici poetae: in Arato id minus etiam mirum, quandoquidem Homericis carminibus peculiarem operam dedisse eum modo commemorauimus. quamquam omnino non contendemus ab Hesiodea elocutione eum prorsus abhorrere.

Iam uero ne in praefando longus sim, in ipsa dissertatione hunc ordinem obseruandum mihi esse censui, ut primo loco de uerborum mensuris agerem, deinde dicerem de formis et uocabulis iis quae apud Aratum aut solum aut unum reperiuntur, denique de syntaxi facerem uerba.

---

8) uit. I. p. 431. *καὶ τὴν Ὀδύσσειαν διώρθωσε καὶ καλεῖταί τις διώρθωσις οὕτως Ἀράτειος ὡς Ἀριστάρχειος καὶ Ἀριστοφάνειος* cf. uit. III. 9) cf. Ritschel. alex. biblioth. p. 89. uit. I. III. Suid. Lex. l. l.

CAPVT I.

De syllabarum quantitate.

Aratus ut signa coeli eorumque ortus et occasus atque prognostica uersibus circumscriberet, prouinciam suscepit sine controuersia durissimam. nihilo tamen secius uersus quos fecit incedunt omnino elegantes atque sonori, et persuasissimum mihi est ab eiusmodi uersu qualem imputauit ei Buhlius u. 80 λέπτη γὰρ τῇκαὶ τῇ ἐξεπιδέδρομεν αἴγλῃ nostrum poetam omnino esse alienum. contra diligentissimus est in obseruandis legibus iis quas scripsit usus Homericus. sed uideamus singula.

Caesurae κατὰ τέταρτον τροχαῖον quae uocatur duo exstant apud Aratum exempla. alterius sane exempli u. 1023 — καὶ ὀψὲ βοῶντε κολοιοί duplicem excusationem protulit Hermannus (Orphica p. 695.)[10]), sed u. 634 uix erit qui contra omnium librorum auctoritatem αὐτίκ᾽ ἀπερχομένοιο cum eodem Hermanno mutari uelit in αὐτοῦ ἐρχομ. nam hanc caesuram raram apud Homerum et Hesiodum, semel uel bis Aratum sibi sumpsisse non est cur negemus, nec opus idem euitandae eius studium, quod est Apollonio et Nicandro, inculcare Arato priorum poetarum sectatori.

Nam sequitur etiam Homerum et Hesiodum in producendis ob caesuram syllabis finalibus. quare ut praetermittam quod u. 662 ante ῥ litteram, u. 940 alias ante μέγας uocabulum breuem syllabam producit, quibus nihil est usitatius, tamen ne offendit quidem producendi ratio, quae est in syllabis

---

10) de cuiusmodi duplici amphibracho in nouissimo uersu collocato cf. Voss. ad u. 584.

— ᾰ 703. — ον̄ 76. 442. 706 alias (cf. Spitzn. de uersu her. p. 60), — ῑ 852. — ες 984 (cf. Spitzn. l. l. p. 41. sq.)[11]. denique *πολυγλαγέος̄* excusationem habet longioris uocabuli.

Correptionem contra ante mutam cum liquida declinat prorsus Aratus pariter atque secuti eum Apollonius Rhodius et Nonnus; quod sibi sumpsisse Nicandrum Moschum Dionysium Periegetam Quintum Smyrnaeum annotat Hermannus Orph. p. 759.

Denique etiam hiatus ubique apud Aratum habet excusationem usus Homerici; nam unus etiam uersus 379., si restituimus cum Hermanno Orph. p. 726. pro *γε* uocabulum *οἱ*, uitio uacat.

De Arato digamma obseruante cf. Buttmann. ad u. 50. In ipsam praeterea materiam quam describebat repugnantem contra uersus necessitatem caussa uidetur transferenda, quod paullo saepius uersus spondiacos qui uocantur noster sibi sumpsit. constat sane tales uersus ne ab Homerica quidem arte abhorrere, sed Aratus inter mille centum quinquaginta quatuor uersus cum centum quinquaginta duo habeat qui in pede penultimo habent spondeum, modum paulisper uidetur excedere. etiam in his uero usum Homericum sequitur. nouem exceptis omnes illi uersus longioribus terminantur uocabulis, quae saepissimime quatuor,[12] haud raro quinque aut sex syllabis constant. et nouem illorum quos dixi uersuum duo (412. 616) finiuntur molosso, in reliquis septem qui palimbacchio exeunt praemittitur longius uocabulum (419. 555. 744. 953. 958. 1000. 1066.)

Iam ut transeam ad syllabarum quantitatem constat uerba quae ᾰ priuatiuo quod nominatur ordiuntur proprie hoc ᾰ habere breue. cum uero a Dracone Strat. de metr. poet. p. 120. 22 sqq. ed. G. Herm. omnino tria excipiantur *ἀθάνατος ἀπάλαμος ἀκάματος*, quae a ueteribus poetis epicis producta ᾱ littera usurpentur, et apud nostrum uu. 415. 826. 858. in uocabulo *ἀνέφελος* prima sullaba longa exigatur.

---

11) non male coniecit Hermannus hoc loco scribendum esse *σπινθήρων*. Orph. p. 702. 12) et huc etiam pertinent uu. 866. 870. nam *ἠῶθι πρὸ* et *ἐν χειμῶνι* tamquam unum uocabulum efficiunt.

auctore Eustathio ad Hom. Od. *Z'* 45. *τὸ δὲ ἀννέφελος εἰ καὶ μὴ τὸ ν̄, ὅμως εἶχε καὶ ἄλλως ἐκτείνειν τὴν ἄρχουσαν, ὡς τὸ ἀκάματος καὶ ἀθάνατος* fortasse non iniuria dubitabat Spitznerus (u. h. p. 75.) utrum Aratus, Dionysius Periegetes (531), Nonnus ignari usus Homerici (Od. l. l.) scripserint *ἀννέφελος* geminata liquida [13]) an uocabulum *ἀνέφελος* a Dracone omissum ad tria illa sit addendum. quia uero Herodianus (Lehrs Herod. scr. tria emend. p. 365. [*ἐκ τῶν Ἡρωδιανοῦ περὶ διχρόνων*]) omittit etiam adiectinum *ἀπάλαμος*, mihi uidetur alterum esse similius ueri et *ἀνέφελος* scribendum. [14]) non alia ratio est uerbi *συνεχές* u. 20. sic enim scribendum, non ut alii falso *συννεχές*. [15])

Nihilo tamen minus exstant etiam apud Aratum non nulla, quae ab Homerico usu recedunt. Sic in *Θρήϊκος* u. 355 Homerus mediam syllabam corripit, producit Aratus eumque secuti sunt Apollonius Rhodius (A. 24. 132.) Nicander (th. 219) Tryphiodorus (30. *Θρήϊκες* cf. Wernick. h. l.). eodem modo sub ictu producuntur primae syllabae uocabulorum *δύεται* u. 309. [16]) et *ἀείδουσα* u. 1023. [17]) et secundae in uocabulis recentioris originis *καταμελεϊστί* u. 624 (cf. infra) [18]) et *μονόλυκος* u. 1124. cf. Spitzn. u. h. p. 80. Nauck. Arist. Byz. p. 116. denique huc pertineret uocabulum *σταλαγμός*, cuius Buttmannus censuit primam syllabam ab Arato esse productam. sed alienum hoc haud dubie ab Arato, qui ex coniectura Th. Bergkii potius scripsit *δίους*

---

13) *ἀννέφελος* exstat etiam in codd. Paris. (D.) Laur. u. 415; duob. Pariss. (F. H) Laur. Ven. (M.) u. 826; Paris (C.) Vatic. (H.), Ven. (M.) et sic etiam Schrader. emendat. praef. p. XVIII iubet scribi. 14) de Dracone illo u. s. Lehrs anal. gr. p. 402. cf. etiam Cram. anecd. Ox. III. 294 sqq. monatsber. der k. preuss. ak. d. wiss. z. Berl. 1861. 2. p. 646. 15) Schol. ad h. l. *ἰστέον δὲ ὅτι εἰ καὶ ἡ σύν πρόθεσις βραχυκαταληκτεῖ ὥσπερ καὶ αἱ λοιπαὶ προθέσεις πλὴν τῆς εἰς καὶ ἐξ, ὅμως ἐνταῦθα ἀντὶ μακροῦ λαμβάνεται.* cf. Spitzn. Hom. Il. M. 26. Nauck. Aristoph. Byz. p. 51. 16) Schrader l. l. contra omnium codd. auctoritatem requirit *δύνεται*. 17) huius mensurae exempla ex Oppiani et Nonni carminibus collegit Lehrs. quaest. epic. p. 316. 18) Schrader l. l. male ex uno cod. Laur. scribendum censuit *καταμμελεϊστί*. sed cf. Homericum *διὰ μελεϊστί* Od. I. 291. Σ. 339.

πέμφιγας[19]). Alias syllabas apud Homerum productas corripuit noster. sic uerbi ἰσαίομαι uu. 235. 513. (quod uerbum sane ipsum apud priorem poetam[20]) non exstat, sed constat in ἰσάζω, ἶσος aliis ῑ apud Homerm produci) prima syllaba apud Aratum corripitur. item δείδιϑι u. 430 non ut alias (Nic. al. 443) efficit palimbacchium sed dactylum. cf. Buttm. gramm. ampl. II. p. 144. §. 114. ὑετός (—⏑⏑) in genetiuo ὑετοῖο u. 804 prima syllaba correpta praebet speciem paeonis III. similis est genetiuus ὁμοιΐου u. 1061. cuius syllaba penultima ne efficiat diiambum iam apud Homerum producta usurpatur (cf. Spitzn. u. h. p. 83. Herm. el. d. m. p. 56.) ὀνομαστί aduerbium, quod proprie syllabam finalem producit, u. 374 et apud alios inferioris aetatis poetas correptam habet.[21]) Adiectiua denique εὔδιος et ἔνδιος mediam syllabam modo habent longam modo breuem, sed cum ab adiectiuo δῖος originem ducant, expectares ubique productam; contra corripitur haec syllaba ubi post sequitur alia correpta ὑπεύδιος 990. εὔδιοι 878. 911. 1123. εὔδια 802. et in participio εὐδιόωντι 278. εὐδιόωντος 899. nec nisi sequente syllaba siue natura siue positione producta productam eam habemus et apud Aratum ἐνδίοιο 954, εὐδίου 823, εὔδιός κε. 784. 850. 991. εὔδιος μὲν 994. ἔνδια στρ. 498. ὑπεύδιοι φορ. 1012 (ubi terminatio ui ictus producitur) et apud Apollonium Rhodium (A. 60) Theocritum (XVI. 95) Orpheum (h. XXXVIII. 24.).

CAPVT II.

De formis.

I. Nomina substantiua. *Prima declinatio.* Homerica et Hesiodea (ἐκῃ 68) forma notissima est Ἑρμείας, quam etiamsi u. 268 unus cod. Par. (C) exhibet, tamen non dubito paullo audacius Buhlium, quem secutus est Vossius, in

19) Philol. XVI. 603. 20) sed reperis idem ap. Nicand. al. 399. fragm. II. 50. 21) cf. Theocr. XXIV. 76. Callim. h. Del. 224.

textum recepisse; potius ex codd. tribus Pariss (A. E. G.) Vat. Cas. Laur. Vrat. a recentioribus editoribus recte reuocata est forma Ἑρμείης, quae etiam in reliquorum codicum scriptura Ἑρμῄεις uidetur delitescere; haec enim forma saepissime apud inferioris temporis poetas epicos reperitur (Callim. h. Dian. 69. 143. Del. 272. et paullo saepius apud Nicandrum et Manethonem) [22]) — nominis βορέας sane habet Aratus genetiui formas βορέαο 25. 239. 486. (ut Hes. ἐκῆ 506. Ap. Rh. A. 1300.) et βορέω u. 500 alias (ut Hom. Il. Ξ 395.), sed utitur etiam fingens nominatiuum βορεύς genetiuo βορῆος 430. 882. 1082. accusatiuo βορῆα 829. quas formas apud priorum temporum poetas nusquam legis, apud seriores satis usitatas fuisse docent exempla ‚Nonni D. I. 424. II. 529. 688. VI. 116. XII. 316. alia Agath. in Anth. Pal. uol. I. p. 76. n. 90.' (TLG) cf. Paul. Silent. Soph. 440. 459. Immo pedestris orationis scriptor ‚Ioann. Malal. p. 492. 12' (TLG) etiam pluralem numerum βορεῖς sibi sumpsit [23]). Denique commemorandum hoc loco habeo uocabulum ἱππότα, cuius genetiuo pro ἱππότου Aratus aeolica [24]) ratione usus est ἱππότα φηρός u. 664. quae forma etiam Scholiasten offendit ita ut haec adscriberet: παρὰ τὸ Ὁμηρικὸν ἔθος· τὸ γὰρ ἱππότα ἀντὶ εὐθείας ἐχρήσατο ὁ ποιητής, οὗτος δ' ἀντὶ γενικῆς. cf. Lobeck. paral. p. 183. Ad *alteram declinationem* nihil monendum est praeterquam quod in datiuo pluralis pro κέγχροις (u. 1039) etiam utitur forma syllaba ει aucta κεγχρείοισι u. 986. [25]) et in genetiuo nominis δένδρεον forma δενδρείοιο u. 1008. cf. Nic. th. 832. quare statim ad *tertiam declinationem* transeamus. eadem ratione, qua pro φρουρά Attici scriptores habent formam φρουρίς (cf. Krüger. gr. gr. I. §. 41. 9. n. 9.), apud inferioris temporis poetas pro

---

22) cf. Franke ad Hom. h. XXI. 28. Wellauer ad Ap. Rhod. B. 1145. Buttmann. gr. ampl. II. p. 396. 23) βυρεῖς exstabat etiam olim apud Alciphr. I. 1. sed cum apudeundem III. 42. 2. legatur οἱ βυρραῖ, quo modo Attico est scribendum, etiam illo loco recte sine dubio A. Meinekius (Alciphr. p. 85) restituit βορραῖ. 24) Apud Aeolenses uero ᾱ longum ut natum ex αο cf. Ahrens. Dial. I. p. 110. 25) cf. Lobeck. path. I. p. 430.

Κυνόσουρα (Arat. 36. Eratosth. cat. 2.) reperitur forma *Κυνοσουρίς*. quo nomine cum Callim. h. Dian. 94. significet celeres canes Laconicas et noster Aratus uu. 181. 308, quem secuti sunt Maneth. II. 24. Nonn. D. I. 166., denotet sidus ursi minoris, denique Scholiastes ad Callim. l. l. haec habeat: *Κυνοσουρίδας ὑπὸ κυνῶν καὶ ἀλωπέκων τικτομένας κύνας ἢ τὰς Λακωνικάς. Κυνοσουρὶς γὰρ τόπος Λακωνικῆς*, ex his omnibus colligendum esse censeo canes illas Laconicas proprie *Κυνοσουρίδας* esse appellatas, Aratum metri fortasse necessitate coactum ea forma abusum esse pro usitatiore *Κυνόσουρα*. non dissimilis est ratio uocabuli *Ἰησονίς* u. 348 pro *Ἰησονίη* (Theocr. XXII. 31. *Ἰησονίης ἀπὸ νηός* cf. Schol. Ar. l. l. *Ἰησονὶς δὲ ἡ ναῦς τοῦ Ἰάσονος*). uocabuli *νηῦς* casus a themate NA semper formati seruant *η*. datiu. *νηΐ* 422. *νῆα* 347; nom. plur. *νῆες* 410. 345. acc. *νῆας* 38. contra formae a themate NE deriuatae fugiunt prorsus usum Arateum; id quod eam imprimis ab caussam mentione dignum habui, quia ne apud Callimachum quidem in hymnis huius stirpis formae reperiuntur. praeter genetiuum uocis *κέρας* eum, quem Homerus habet *κέραος* (Arat. 589.) seriores poetae epici uel Atticos secuti, qui in formis *κέρατος κέρατι κέρατα κέρασι* syllabam *ρα* producere solebant, uel Buttmanno iudice (gr. ampl. I. p. 200. n. 2) falsa analogia Homericae formae *κράατα* decepti diductis formis utebantur *κεράατος* Aratus (u. 175 *υ — υυ*, quippe qui primus erat in his nouandis.) *κεράασι* Apollonius Rhodius (*Δ*. 976.) [27]) nomina in — *ευς* desinentia fere semper epica ratione flectuntur, *Κεφῆος* 179. *Ὑδροχοῆϊ* 389. *Αἰγοκερῆα* 501. *νομῆες* 220. *ἀροτρήων* 1117. sed *Περσεύς* genetiuum non habet *Περσῆος* (*Περσῆα* Il. *Ξ*. 320) sed ionica ratione *Περσέος* 484 cf. Herodt. VI. 54., id quod eodem iure sibi sumpsit Aratus, quo Homerus nomina *Ἀτρεύς* et *Τυδεύς* nonnisi ionica, *Ὀδυσσεύς* alia eius modi modo epica modo ionica ratione flexisse constat. denique pariter atque pro *βουλευτής* reperitur forma *βουλευτήρ* (Hesych.) pro *πολε-*

---

26) cf. 'Quint. Sm. VI. 225. 238. Opp. Cyn. II. 510. 494. Nic. th. 291.' a. i. g. (TLG.)

μιστής πολεμιστήϱ (Wernick. ad Tryph. p. 68), Aratus pro τοξευτής (uu. 306. 542. Hom. Callim.) utitur obliquis casibus formae τοξευτήϱ uu. 400. 506. 685; quamquam etiam in casu recto duobus illis locis quominus scribatur τοξευτήϱ nihil uidetur obstare. Huc continuo subiungam tria alia uocabula, quorum duo per metaplasmum flectuntur, tertium est heteroclitum. ad Αἰγόκεϱως enim uu. 286. 547. 684 casus format Aratus tamquam a nomine Αἰγοκεϱεύς, cuius formae exemplum omnino requiritur, Αἰγοκεϱῆος 284. 538. cf. Quint. Sm. VII. 300, Αἰγοκεϱῆι 292. 316. 547. 689. 702. cf. Quint. Sm. I. 356. Αἰγοκεϱῆα 501. eadem ratio est formarum Ὑδϱοχόοιο 392 et Ὑδϱοχόου 398 et Ὑδϱυχοῆϊ 389.[27]) a duplici casu recto Ὑδϱόχους et Ὑδϱυχοεύς originem ducentium. de formis βοϱῆος, βοϱῆα supra diximus.

Liceat hic mentionem facere earum formarum, quae suffixo quod dicitur terminantur. in his uero omnibus Homerum sequitur: — $\overline{\varphi\iota}$ ἐπ᾽ αὐτόφι u. 980; — $\overline{\vartheta\iota}$ ἠῶθι 668, ἠῶθι πϱό 309; — $\overline{\vartheta\epsilon\nu}$ χειμωνόθεν 995 pro, χειμῶνος, ἀστεϱόθεν 1013. pro ἀστέϱος, ἀπ᾽ οὐϱανόθεν 863. (Il. Θ. 19.) πϱύμνηθεν 348 et metaplastica forma πϱύμνοθεν 343 pro πϱύμνης (ἕλκειν, ut Hom. dicit ἕλκειν τινα ποδὸς, ποδῶν). ceterum forma πϱύμνοθεν ante Arati tempus non cognita nec nisi postea apud Apollonium Rhodium Δ. 911. (1684?) Orph. Arg. 238 exstat, quamquam apud hos non tam est genetiui forma quam aduerbium locum demonstrans.

Quod attinet ad genus substantiuorum, anomalia est quod poeta pro ὁ παϱήλιος, ut recte dixit Theophrastus, habet τὸ παϱήλιον u. 881. contra uocabulum βῶλος u. 7. non ut inferioris aetatis poetae ‚Nic. th. 174 Anth. p. 254 Iac.' (TLG) et prosae orationis scriptores ‚Diod. Sic. III. 14. Strab. III. p. 146. Schol. Soph Ai. 1286.' (TLG) habet masculinum, sed antiquiorum poetarum more femininum cf. Lobeck. Phryn. p. 54. quod uero Scholiastes annotat ad u. 33 (pro Δίκτῳ) ἔδει εἰπεῖν Δίκτῃ ἀλλ᾽ οἱ ποιηταὶ εἰώθασι τὰ

27) apud Hesychium u. ὑδϱηχόες· ἰχθύες corrigendum uidetur ὑδϱοχῆες· ἰχθύες.

γένη ἐναλλάσσειν ὡς χώρα χῶρος ὠνὴ ὦνος· οὕτως οὖν καὶ Δίκτη Δίκτος, hac tamquam uituperatione liberauit poetam Mauricius Schmidt, qui Progr. Schol. Oelsn. 1851. p. 27 et denuo Philol. IX. p. 396. uu. 33 et 34 sic emendauit:

Ἄντρῳ ἐν εὐώδει ὄρεος σχεδὸν Ἰδαίοιο
Δικτάμῳ ἐγκατέθεντο κτἑ.

Iam hinc praescriptus ordo nos traducit ad

II. Nomina adiectiua. Mira est forma, quam apud alium poetam uix repertum iri existimo, θήλεια u. 1068 (cf. Maitt. p. 39.) pro θήλεα (Herodian ap. Herm. em. p. 302. 3) tamquam haberet adiectiuum θήλειος pro θῆλυς. quamquam sane analogia non caret, exstat enim simillima ratione formatum apud Hesiod. sc. 348 ὀξεῖα pro ὀξέα[28]). Oportet etiam hoc loco addantur ea adiectiua, quae aut alias diuersam, apud Aratum communem terminationem pro feminino praebent aut apud alios communem, apud nostrum diuersam. huc pertinet quod metri necessitate opinor coactus χαροποῖο σελήνης u. 1052 scripsit pro χαροπῆς (cf. Ap. Rh. A. 1280 χαροπὴ — ἠώς, Anth. V. 156. χαροπαὶ — ἀστεροπαί); praeterea ad euitandum hiatum ut constat poetas haud raro dixisse ἱερός pro feminina forma (orac. ap. Hrdt. VIII. 77 Hes. ἐκῆ. 464. 595.), non offendit quod apud nostrum reperimus ἱερὸς ἕδρη 695. sed quod u. 487 legitur ὁπλαὶ δ' Ἵππειοι sine controuersia falsum est. cum enim uu. 524. et 601. Ἱππείη κεφαλή in omnibus insit codd. mss. et ipse Homerus Il. I. 568. habeat φάτνῃ ἐφ' ἱππείῃ, non uideo caussam cur nostro loco omnes editores secuti sane librorum scripturam seruarint Ἵππειοι nec potius facillima mutatione οι in αι scripserint ὁπλαὶ δ' Ἱππεῖαι. masculina forma superlatiui νείατος u. 59. feminini uice fungitur nec opus est ex codd. Paris. Vat. scribere νειάτῃ, quandoquidem Aratus etiam superlatiuum ἔσχατος uu. 625. 628. habet generis communis. — adiectiui πολύς, cuius flexionem apud poetas usurpatam explicat Scholiast. ad u. 20., apud nostrum non nisi formae ionicae

---

28) cf. τὸ ἡμίσεον = τὸ ἥμισυ, et doricum ἥμισος Lobeck. Phryn. p. 247.

reperiuntur singularis πολλός 87. 256. 316. πολλή 41. 165. 503. acc. πολλόν 643. pluralis πολλά 322. πολέες 20. πολέων 237. 377. — porro commemoretur hoc loco peculiaris forma feminina adiectiui ἄγριος ἀγριάς — άδος 918., quae nisi fallor ante Aratum in litteris non reperitur, saepius postea Ap. Rhod. A. 28: Nic. th. 89. ei. fragm. 11. Opp. Cyn. IV. 270. cf. Lobeck. Soph. Ai. p. 272. ed. pr. Wernick. ad Mus. 300. tales enim formae feminae quamquam minime alienae erant ab antiquorum poetarum sermone (cf. Pind. Isthm. IV. 34. Nem. IV. 59. Eur. Hec. 444. ibique Musgr.), tamen adamatae imprimis a temporis Alexandrini poetis uidentur fuisse [29]).

Ad conformandum comparatiuum constat epicos poetas themati adiungere — τερος. de formis κακώτερος 124 μειότερος 42 (et μείονες 479) πλειότερος 644. 1005, quippe quae etiam aqud Homerum reperiuntur, mihi uix opus erit h. l. uerba facere, sed miraris fortasse, quod, quamquam superlatiuus ὀπίστατος ex Homeri carminibus est notissimus, comparatius tamen ὀπίστερος ante Aratum in litteris quae aetatem tulerunt omnino desideratur (Arat. u. 284). postea non est tam rarus (cf. ‚Nonn. D. VII. 189. XXXVII. 245' (TLG) alias.) [30]) eadem ratio est comparatiuorum νοτιώτερος uu. 238 et 490 et βορειότερος u. 246. quorum uterque a priorum temporum sermone abest, ille significatione ‚magis septentrionalis' (nam notione ‚humidior' exstat apud Strab. IV. p. 195) ne postea quidem in usum abiit, huius aduerbio usus est Ptolem. in φάσεσιν ἀπλ. ἀστ. in Fabric. bibl. gr. uol. IV. p. 427. βορειοτέρως, superlatinus βορειότατος exhibetur apud ‚Dion. Per. 12. Maneth IV. 241' (TLG). et in his quidem adiectiuis per gradus motis omnia ad regulam, sed neglexit

29) cf. λεπράς Theocr. I. 40. ἐρημάς Maneth. VI. 67. κοιλάς Tryph. 194. ad quem locum uide s. Wernick., qui complures attulit locos Nonnianos. — ceterum non tam dissimilis est ratio uocabulorum πάμμηνις u. 189. et διχόμην uu. 78. 471. quibus utitur poeta pro πανσέληνος et adiectiua forma διχόμηνος, in accusatiuo pro διχομηνία 736. contra ipsum adiectiuum διχόμηνος in genere feminino est διχομηνία u. 808.

30) forma amplius aucta ὀπισθότερος u. 148 Lobeckii (Phryn. p. 416) coniecturae cedat, ex qua scribendum est ὀπισθοπόροισι.

eam prorsus Aratus cum a πυῤῥός pro πυῤῥότερος formaret coactus fortasse metri necessitate πυῤῥώτερος u. 798 — Superlatiuum constat terminatione — ̅τατος formari. ad regulam igitur sed primus fortasse a θέρειος utitur Aratus superlatiuo θερείτατος u. 149. quem adoptauit Nic. th. 469.[31]) — Ab adverbio ἄγχι per gradus moto bis apud Aratum exstat ἀσσότερον uu. 313. 486. pro Homerico (Od. P. 542. T. 506.) ἀσσοτέρω. sed noli suspicari reuocandam esse Homericam formam; potius consulto Aratus, cum sequerentur βορέω et βορέαο, euitauit eam, ne idem terminationum sonus iteraretur. — Huc denique reponatur forma Dorica et Aeolica πόρσω, quam ex Atticis poetis Soph. (O. C. 179.) et Eur. (Bacch. 392), qui ea utuntur ubique flagitat metrum, sibi sumpsit Aratus u. 299.

III. Numeralia. Etiam in his formae quibus utitur Aratus fere omnes sunt Homericae. sic formas habet μία 525. 561 et ἴα 813. δύο et δύω. sed liceat h. l. de usu et differentia formarum δύω et δύο paucis disputare. δύω enim quinquies copulat cum nominatiuo pluralis (nam dualis numerus fugit prorsus Aratum) et ter quidem cum masculino (24. 468. 1092.) bis cum feminino (26. 812), cum quarto pluralis semel (543), contra δύο quod apud Homerum paulo rarius cum recto pluralis coniungitur quam δύω,[32]) apud Aratum omnino decies cum recto pluralis et cum masculino quidem septies (55 bis. 282. 395. 479. 548. 894) bis cum feminino (815. 879.) semel cum neutro (318), semel cum quarto casu (543) coniunctum reperitur. item utramque formam δύω et δύο copulat cum datiuis (86. 318. 436.) et in compositis adhibet δυωδεκάς (555. 703.) et δυοκαίδεκα (740). Sed ut ad formas redeamus, recedit ab Homerico sermone genetiuus δυοῖν u. 1142. pariter atque datiuus δυσίν u. 468. aduerbia δισσάκις u. 1004 et δισσάκι u. 968.[33]) formae τρίτος, τρί-

31) componi posset cum hac forma sine dubio mira adiectiui πρόσβοῤῥος superlatiuus προσβοῤῥώτατος Strab. XI. p. 528 nisi a Lobeckio Path. p. 431. n. 20 in suspicionem esset adductus. 32) cf. Fr. Zander de uocab. δύω usu Hom. Hesiod. et Attico diss. I. Regimont. 1834. 8.
33) haec aduerbia nisi ap. 'Alcae. Messen. in Anth. Pal. VII. 429 et Quint. Sm. II. 56.' (TLG.) amplius non reperies.

τατος, *τρίς* et *τριχθά*; *τέσσαρες*, *πίσυρες*, *τέτρατος* et *τέταρτος* aeque sunt Homericae, sed restat forma, quam ex Attico sermone sibi sumpsit *τεταρταῖος* u. 806. ‚quartus',[34]) non ea quae apud Atticos est significatione ‚am uierten tag.' quartus mensis ut apud Hesiodum (*ἐκῃ* 770. 794 alias) et Atticos etiam apud nostrum est *τετράς*. 1150.

IV. Pronomina. Pronominis personalis Aratus praeter usitatissimam formam *οἱ*, quam haud raro inserit non aliam ob caussam nisi ut expleat uersum, ei formae, quae rarior est et Homero (Il. N. 495. Od. Δ. 38.) est propria *ἑοῖ*, non plus semel (u. 567) dedit locum et ita quidem, ut haud immemor usus Homerici iunctam cum *αὐτῷ*: *ἑοῖ αὐτῷ* in nouissimo uersu collocaret. item *ἕ* uu. 528. 544; 105 pro *αὐτὸν*, *αὐτὴν* ex consuetudine Homerica sibi sumpsit, pro *αὐτό* collocare, ut rarissime sibi indulsit Homerus, prorsus declinat noster. contra *μίν* etiam apud Aratum trium generum uice fungitur, nec plurales formae *σφέων* u. 391 et *σφίσιν* u. 266 personales sunt sed demonstratiuam obtinent notionem. — Pronominis relatiui *ὅστις* Arato reddidit Scaliger. ad Manil. I. 315. datiuam formam *ὅτινι* u. 65.[35]) pro *ὅτεῳ* (Il. O. 664. Od. B. 114.) uel *ὅτῳ* (Ap. Rh. cf. Spitzn. Il. M. 428.). sed ut accusatiuus pro *ὅντινα* apud ipsum Homerum (Od. Θ. 204. O. 395. Ap. Rh. B. 875. ibique Schol. cf. Il. Ω. 442.) exstat *ὅτινα*, sic ne *ὅτινι* quidem offensionis quidquam habet nec opus est cum Vossio scribere *οὐδέ τινι* ita ut pronomen indefinitum significatione relatiua accipiatur, quod sane inauditum non esse docet idem Vossius l. l. — Restat ut breuiter disseramus de

V. Verborum formis. Vt initium capiam ab augmento quod uocatur et reduplicatione, Aratus eadem libertate iis utitur atque Homerus nec nisi uersus necessitate ducitur. sed Homerici usus inscientiae uidetur tribuendum, quod quamquam constat uerbum *ἐπίστασθαι* apud Homerum (dempto Marg. fragm. I., quod carmen abiudicandum Homero consentiunt inter

---

34) hanc formam et significationem adoptauit 'Palladas in Anth. IX. 173.' (TLG.) 35) sic enim exhibent codd. Paris. D. Ven. (M); *ὥτινι* Paris. G. Vat. (I) Vrat.; *ὅτ' ἐνι* Cas.

se homines docti) semper carere augmento, tamen usus est noster forma ἠπίσταντο u. 108.[36]) huc etiam spectat, quod Aratus uerbi ἔρχεσθαι usus est imperfecto ἤρχετο uu. 102. 118. quia enim inter hanc formam et imperfectum uerbi ἄρχεσθαι discrimen intercedit omnino nullum, uerbi ἔρχεσθαι imperfectum Graecos prorsus declinasse satis superque constat.[37]) Verbi οἴεσθαι uu. 896. 1006. aoristi infinitiuus οἰήσασθαι et optatiuus οἰήσαιτο in codicibus leguntur. immutare conatus est illum in ὀΐσασθαι, hunc in ὀΐσαιτο Buttmannus primam syllabam (pariter atque u. 1000 in ἀείδουσα eandem primam, secundam in Homerico ὀλοῇσιν) pronuntiando extendi ratus. sed cum doceat Lobeckius Phryn. (Parerg. c. V.) p. 719 multa apud epicos poetas inueniri aoristorum exempla, a quibus pedestris sermo declinet, et idem his locis (e cod. Vrat. u. 896; quamquam idem cod. u. 1006 exhibet ὠΐσαιτο) restituenda esse censeat οἰήσασθαι et οἰήσαιτο, quo aoristo in prosa oratione postea abusi sint Porphyr. de abst. II. 24. 144. Eustrat. in I. Nicom. p. 8. a., adstipulor Bernhardyo, qui ad Dion. Per. p. 608 Lobeckio tuenti has formas mauult quam Buttmanno fidem habere. ad uerbum ἀείρειν pertinent formae poetarum propriae ἠερέθονται et ἠερέθοντο, quae post Homerum prorsus obmutuerunt, donec Aratus 390. eumque secuti Apollonius Rhodius Γ. 830. alias, auct. Orph. ἀποσπ. VI. 23. eas in memoriam reuocarunt. — Aristarchum scimus in altera editione Homerica formam κεκλήγοντες eiusque similes immutasse in κεκληγῶτες.[38]) sed falsum esse doctissimum grammaticum uiderunt nostrates homines docti et ueterem illam formam Aeolicam restituerunt Homero. apud inferioris autem temporis poetas epicos cum saepius legamus formam

---

36) hanc uero formam, quae exstat etiam apud Callim. h. Cer. 113., utrum ex Attico ut contendit Vossius an ex Ionico sermone aut aliunde sibi sumpserint Alexandrini poetae (sed recte Ritschelius alex. bibl. p. 83 de Arato monuit: der übrigens ohne allen grund dem alexandrinischen gelehrtenverbande beigezählt wird, mit dem er gar nichts gemein hatte) equidem non audeo diiudicare. 37) non ita cuitabant imperfecta compositorum ἐπέρχεσθαι προσέρχεσθαι ἐπηρχόμην προσηρχόμην, de quibus cf. Elmsl. Eur. Herc. fur. 210. Fritzsch. Arist. Thesm. 504.

38) Thiersch. gr. gr. p. 191. Spitzn. ad Hom. Il. M. 125.

κεκληγῶτες (cf. Ap. Rh. Δ. 874.), paullisper dubitari potest, quomodo apud Aratum u. 1004 scribendum sit. exhibent enim codd. tres Paris. (ABE.) κεκληγόντες et sic etiam cod. Ven. N., duo Pariss. (F. G.) Vat. H. Cas. Ven. M. Vrat. κεκληγότες, unus cod. Laur. κεκληγῶτες; sed cum Aratum habeamus eum, qui fere ubique uestigiis Homeri insistit, adstipulabimur editoribus Buttmanno et Bekkero, qui reuocarunt κεκλήγοντες (cf. Lehrs. quaest. epic. p. 291.); retinuit enim Aratus etiam formas illas ex Homerico sermone notissimas duales κρώξαντε u. 968. βοῶντε u. 1023.[39]) ubi exspectas plurales. de quibus constat inde a Zenodoti temporibus VV. DD. multum disputasse. rectum uidit Buttmannus lexilog. I. p. 3. mentione digna praeterea est futuri forma τεξείεσθε u. 124., quam iniuria Buttmannum contra omnium codicum auctoritatem refutasse censeo.[40]) τεξείεσθε est futuri forma epenthesi $\overline{\varepsilon\iota}$ diphthongi amplificata (Lobeck. Phath. p. 431.). cuiusmodi epenthesis in futuro adhibitae etiamsi sane praeter hunc Arati locum testimonium grammaticorum non exstat nisi Moschopuli περὶ σχεδ. p. 9. ed. Bois., qui θαυμασείω affirmat dictum esse pro θαυμάσω, tamen et hoc ipso Arati loco firmatur Moschopuli auctoritas et Moschopulo auctore defenditur forma τεξείεσθε. falsi sunt Clem. Alex. strom. V. p. 597 et Stob. ecl. I. 3. p. 3. qui laudantes Arati u. 1. scripserunt ille ἀρξώμεσθαι, hic ἀρχώμεθα, quod utrumque ne metrum quidem ferre luce est clarius. uindicanda est Arato etiam hic forma illa antiquior ἀρχώμεσθα, quam Scholiastes his uerbis adumbrauit: τὸ δὲ ἀρχώμεσθα μετὰ τοῦ $\overline{\sigma}$· ἔστι δ' ἀρχαϊσμός. Ὅμηρος· ‚δόρπον ἐφοπλισόμεσθα'. contra abhorret prorsus ab usu Homerico et epico, quod uerbi ὁρᾶν utitur forma passiua ὦφθεν u. 957. praeter formam participii perfecti πεπτηότος, πεπτηότα (u. 167.) notissimam et Homero propriam Aratus habet etiam πεπτηῶτες u. 369. πεπτηῶτα u. 318. quae inde ex Arati tempore abierunt

39) Schol. ad hunc locum haec annotat: τῷ δὲ βοῶντε δυϊκῷ ἀριθμῷ ἐχρήσατο ἀντὶ πληθυντικοῦ· τοῦτο γὰρ ἔθος αὐτῷ, ὃ καὶ Ὅμηρος οἶδεν. 40) scribendum enim coniecit esse κακίονα τῆς τέξεσθε.

in usum epicorum (cf. Ap. Rh. Γ. 321. Nonn. D. XVIII. 120.). In his igitur breuem uocalem mutauit in longam. contraria ratione pro Homerica forma *βεβλήαται* (Il. Λ. 657. Od. Λ. 194.) bis usus est forma *βεβλέαται* uu. 174. 371, quam uereor an alias usquam reperias [41]). denique Homerus etiam alienus est a forma *κέχυται* u. 320. (cf. Lycophr. ap. Athen. p. 670. *E.*); de Homerico *κέχυνται* cf. Krüg. gr. II. 30. 4. 2. item uerbi *εἴρειν* forma passiua *εἴρεται* h. e. „dicitur' uu. 172. 261. quamquam huc etiam reponi potest uerbi *φαείνειν* part. praes. pass. *φαεινόμενος*, quod Aratus uu. 76. 116. 909. eadem significatione usurpat atque alias est actiuum „fulgens." cf. Ap. Rh. B. 42. Γ. 828. Δ. 1326.

Verba pura apud epicos poetas contractione modo carere (*τροχάει* 227. *φοβέει* 636. alia i. g. de *σταλάον* u. 962. quod semper solute loquitur etiam Homerus cf. Lobeck. techn. p. 175.), modo contrahi (*εἰλεῖται* 53 al.) nec raro uocali contractae parem uocalem breuem praemittere satis superque constat (*τροχόωσι* 25. *φυλλιόωσαι* 333 a. i. g.); quae cum ita sint non uideo cur u. 898 nonnulli scribere uoluerint *εὐδιάοντος* pro *εὐδιόωντος*, quod participium apud epicos poetas non aliter atque *εὐδιόων*, — *όωντος* reperiri demonstrant exempla haec: Arat. u. 278. Ap. Rh. A. 442. B. 307. al. Opp. Cyn. I. 13. Hal. III. 58. [42]) Contrahendi εο et εου in ευ rationis, quae in actiuis formis apud Homerum satis rara est (cf. Krüg. gr. II. 34. 3. 3.) exempla Aratea habes duo *μελανεῦσα* uu. 817. 877. *ἐπιρροιζεῦσι* u. 969. passiua accedit forma *θηεύμεθα* u. 618. Verbi *εἰμί* I. pers. plur. sine dubio etiam apud Aratum est *εἰμέν* u. 5. quae forma Homero Hesiodo (sc. 351.) Apollonio sola est usitata,

---

41) u. 82 auctore Spitznero de u. h. p. 151. ex cod. Mosqu. restituendum est *πεπονήαται*· in praeterito enim huic V. D. melius uidetur η quam ει, et maxime quidem in uerbis contractis. de quibus Iados formis cf. Greg. Corinth. p. 484 sq. — ceterum participiorum *βεβολημένος* u. 609 et *βεβλημένος* uu. 311. 358. 492. ad significatum eadem differentia est Arato atque Homero (Il. I. 9. Od. K. 247) cf. Buttm. ad Ar. u. 492. 42) sic etiam scripsit poeta *ὑπτιόωσα* 789 participium non a uerbo *ὑπτιόω* sed ab *ὑπτιάω* (cf. u. 795) deriuandum.

non ἐσμέν quae Attica in codd. Par. C. E., Ven. N. Palat. exhibetur, legitur Act. Apost. XVII. 28.[43]), ubi hemistichium hoc Arateum laudatur, exstat bis apud Orpheum (Arg. 840. 1191), recepta est male a Buhlio in textu Arateo. ceterum eiusdem uerbi formis optatiuis utrum casu factum sit ut solis εἴῃς u. 823, εἴη uu. 304. 431. Aratus sit usus an consilio euitauerit formas ἔοις, ἔοι equidem non ausim diiudicare.[44])

In nouissima acie collocabo duo uocabula, quae nulli ante dictorum comparari poterant. constat enim uerbi στιχάειν apud antiquiores poetas nullam nisi formam passiuam ἐστιχόωντο esse usitatam[45]). apud Aratum uero et seriores poetas inueniuntur etiam actiuae formae στιχόωσι u. 191. στιχόωντα u. 372. (cf. Ap. Rh. A. 30. Orph. L. 269.). alterum est participium φάουσαι u. 607 uerbi ΦΑΩ (a quo uerbo Homero nihil est notum nisi forma φάε Od. Ξ. 502.)

CAPVT III.

Agitur de iis uocabulis, quae apud Aratum aut primum aut solum quaeque singulari notione usurpata reperiuntur.

Nostris temporibus saepius homines docti eam prouinciam susceperunt, ut de singulis poetis Graecis aut Latinis disserent uocabulorum inuentoribus, ita ut colligerent ea, quae is poeta de quo agunt, aut primis aut solus usurpauit. quibus aduersantur alii, qui negant poetas umquam ipsos nouas uoculas conformasse aut inuenisse et contendunt potius ex aliis

43) Nec aliter in cod. Sinait. Tischend. N. T. Sin. p. 111. col. 2. lin. 38 sq. του γαρ ·/. και γενος εσμεν. 44) etiam apud Hesiodum th. 128. 530. ἐκῇ 348. 485. 501. 559. 577. 606. 617 ubique est εἴη nec semel quidem exstat ἔοι uel ἔοις. (ceterum bis etiam apud Aratum est forma βεβηκώς uu. 85. 327. nec umquam βεβώς uel βεβαώς. 45) eadem fere ratio est uerbi τιτύσκειν cuius actiuae formae alienae ab Homerico sermone inde ab Antimachi temporibus saepius in litteris reperiuntur cf. Antim. fr. 26. Schell. Lycophr. Alex. 1402. Arat. 418. Opp. H. II. 99.

dialectis sumpsisse, quae uideantur nouasse. partes utrum illorum sequamur an horum sunt fortasse qui dubitent. equidem uero de ea sententia desistere a me impetrare non possum, poetas imprimis graecos per facilitatem uerborum effingendorum, qua lingua graeca omnibus linguis excellit, ex suo ingenio noua uocabula conformasse et composuisse. quo enim iure dicimus abstinuisse illos ea libertate qua ne nostrates quidem poetae umquam dubitabant uti? quamquam minime iis adstipulor qui omnia quae poeta sibi habet propria ei tribuunt inuentori et opifici uerborum. quae ratio cum alias tum apud Aratum prorsus est improbanda et reiicienda. nescimus enim quae ex aliorum poetarum astronomorum geometrarum scriptis nunc perditis aut ex ipso uulgari sermone siue Graecorum siue Solensium siue Macedonum receperit Aratus nec manifestum quidem quid tribuendum sit ipsi poetae, quid interpolatoribus quos misere deprauasse hoc carmen queritur scriptor uitae II. Buhl. (cf. not. 4.). inde uero sequitur etiam nobis omnia, quae Aratus aut solus aut primus habet uocabula, esse colligenda et ad singula quam fieri potest accuratissime inuestigandum an similia fortasse apud priores poetas reperiantur; tum duce analogia uidebimus quibus inuentori Arato tribuendis probabilitatem conciliemus.

I. **Nomina substantiua.** *declinatio prima.* exordiamur a compositis, quorum primum locum obtineat uocabulum, quod nemo dubitabit adscribere Arato opifici. notissima sunt uocabula *βωτιάνειρα κυδιάνειρα ἀντιάνειρα Δηϊάνειρα*, quorum simile Lobeckius (Phryn. p. 538. not. et Paral. p. 214.) ex codicum scriptura *ἐννεάγηρα* (uel *ἐννεαγήρω*) restituit Arato u. 1022 *ἐννεάνειρα*. quae emendatio, etiamsi ipsum hoc uocabulum nisi hoc loco non exstat, tamen omnino probanda est et probata quidem a Buttmanno [46]), in textum recepta a Bekkero. epitheton est cornicis, quae uiuacissima ab Hesiodo ap. Plut. de orac. def. 11. (tom. II. p. 415. C.) nouem aetates hominum uiuere sic canitur:

46) gr. ampl. II. 408.

ἐννέα τοι ζώει γενεὰς λακέρυζα κορώνη
ἀνδρῶν ἡβώντων κτἑ.[47])

quem locum Arato ob oculos obuersatum esse ueri non est dissimile. sed id uidetur monendum, hanc componendi rationem non tam felicem posse nominari, quandoquidem similium βωτιάνειρα κυδιάνειρα posterior pars indicat obiectum eius uerbi, quod latet in parte priori: ‚nutriens uiros,' ‚celebrans uiros,' a quibus non tam multum differt ἀντιάνειρα h. e. ‚par uiris.' Eundem Aratum habere auctorem coniicio uocabulum αἱ εἰναλίδιναι u. 918 non aliter confectum atque εἰναλίφοιτος Anth. VI. 16. 4. et Homericum ἐμπυριβήτης Il. Ψ. 702. insequantur ὁμηλυσίη u. 178 et κατηλυσίη u. 537. Hesychius ἠλυσίη interpretatur ὁδός, item Et. M. p. 479. sed non est iter, sed itio (cf. ἤλυσις Eur. Hec. 66. Phoen. 844.). sic ὁμηλυσίη est coitio ut apud Nonn. par. VI. 59. XIX. 110. ὅμηλυς est conuena. ipso uocabulo ὁμηλυσίη neque ante Aratum neque postea quisquam usus esse uidetur, etiamsi uero ne alterum quidem κατηλυσίη exstat nisi apud Ap. Rh. Δ. 884, tamen non audeo utrumque Arato inuentori adscribere. idem mihi dubium est de uerbo περιαγή u. 688 quod eadem significatione, qua simplex ἀγή Boeckhius apud Pind. Pyth. II. 150 restituit, apud unum reperitur Aratum. Quibus demonstratis transeam ad uocabula paragoga. huc pertinet Arato proprium ἀμαξαίη u. 93[48]) pro ἅμαξα (ut γαληναίη u. 813 Callim. epigr. V. 5. Ap. Rh. A. 1156. Opp. Hal. I. 460 [Γαληναίη perperam Hesiod. th. 244 cod. Ven. II.] pro γαλήνη Arat. 315). tales uero formae ut νικαίη pro νίκη[49]) tempore Alexandrino usitatissimae uidentur fuisse in carminibus epicis. similes inferius nonnullas formas adiectiuorum — αιος pro — ος exeuntium enumerabimus. huc pertinet prae-

47) Hes. fr. CLXIII. (Göttl.) 1 sq. 48) melius enim in codd. Vat. Paris. C. Mosqu. legitur οὕνεκ' ἅμαξ. quam οὕνεχ' ἅμαξ. cf. Il. Ω 782. Eustath. 1375. 42. 49) cf. Eustath. ad Il. I. 222. καλεῖ τὴν καλάμην ὁ πολὺς ἄνθρωπος καλαμαίαν ὡς καὶ ἡ σελήνη σεληναία λέγεται. Phot. lex. c. 219 fin. Sturtz de dial. Maced. et Alex. p. 173. Schaef. Greg. Corinth. p. 394. cf. uocabula κρηναίη δειλαίη ἀναγκαίη ἐρημαίη ὡραίη ὁλκαίη Νυμφαίη Διωναίη.

ter uocabulum *ἀμβολίη* uu. 886. 1081. 1117 (pro *ἀναβολή*) quod ignotum ante Arati tempus postea saepius reperitur apud ‚Ap. Rh. A. 861. Γ. 144. Anth. Pal. V. 233. 2. Tryph. 42.' (TLG), simile *σκοπιή* uu. 833. 883. (pro *σκοπή*). sed huiusmodi formae nihil habent offensionis, pleonasmus enim litterae *ῐ* ante terminationem ob metricas rationes insertae apparet etiam in multis aliis substantiuis (cf. *ἀντολίη*, *ἀποτροπίη* Lobeck. Proll. p. 358. not. 69.) et adiectiuis, de quibus alio loco agendum (cf. Lobeck. Path. I. p. 437.).

Propter tralaticiam significationem locum habeat uocabulum *παρηορίαι* u. 600. quod apud Homerum significat ‚loras, quibus funalis equus (*παρήορος*) in bigis alteri alligatur,' apud Aratum est ‚latera.' cf. Ap. Rh. Δ. 943.

Commemorandum denique est uocabulum *ὀχή* quod duobus locis apud Aratum, sed diuersa notione inuenitur. u. 956 ab *ἔχειν* deriuatum idem est atque *ὀχεή* (quo ipso uocabulo post Callimachum usi sunt Aratus 1026. et Nic. th. 139.) *ὀχεά ὀχειά*; cf. Homericum (Il. X. 93. 95) *χειά* h. e. latibulum. in iis enim quae Orion Thebanus *περὶ ἐτυμολογιῶν* 164. 34 annotat *χέα καὶ χεία Φιλόξινος — καὶ μετὰ περισσοῦ τοῦ ō ὀχεή παρὰ Καλλιμάχῳ* (fragm. 438 Bl.) *ὃς δ' ὡς ἐξ ὀχεῆς ὄφις αἴολος αὐχέν' ἀνάσχων* errasse Philoxenum docuit Lobeckius Path. I. p. 84 sq. secutus Valckenarium ad Adon. 255.[50]) Ceterum Buttmanno ad u. 956 qui coniecit pro *ὀχῆς* scribendum „quamquam non pronuntiandum, *ὀχεῆς*" non assentior. contra u. 1069 *ὀχή* dixit pro *ὀχεία*, suspicor male secutus analogiam (quae uero analogia uix nominari potest) uocabulorum *ἄλη ἀλεία*, *γαλήνη γαλήνεια* aliorum i. g. sed constat formas *ἄλη γαλήνη* esse primitiuas, quae postea per epenthesin diphthongi *ει̅* auctae sunt, contra *ὀχεία* originem ducit ab *ὀχεύω* et significat initum. nisi fortasse conicias uocabulum *ὀχεία* confusum esse cum *ὀχειά* a poeta (pro *ὀχεά* ‚Cram. anecd. II. p. 274. 26 [Choerob]' TLG), qui eodem modo quo *ὀχή* dixit pro *ὀχεά*, idem in hoc uocabulo sibi sumpserit.

---

50) cf. Hesych. *ὀχή· τρώγλη*.

Declinatio altera V. 315 in editionibus Buttm. et Bekk. legitur καλέουσιν ἀ η τ ό ν, sic enim in plerisque codd. mss. iisque melioribus exstat. Vossius paullo audacter mutato καλέουσιν in καλέουσ' ex uno cod. Vindob. αἰητόν in textum recepit. sane mirum quod Aratus quamquam habet formas αἰητός (522. 691) et αἰετός (591) tamen neutra h. l. est usus. quamquam uero missa particula καὶ potuit scribere αἰητόν μιν καλέουσιν, tamen aquilae nomen in nouissimo uersu collocatum habere mihi uidetur uoluisse aut quia paullo ante eundem uersus locum obtinebat ἄηται a quo uerbo ἀετός ducit originem, aut quia nomina siderum in uersu ineunte aut exeunte studet ponere. quare placet mihi καλέουσιν ἀητόν[51]). apud primum Aratum u. 494, postea apud Nicandrum pro χέλος (u. 269) reperitur paronymum χ έ λ ε ι ο ν; sed eodem modo, quo simile γένειον a primitiuo γένος (cf. Et. M. 226. 2. ‹Galen. de musc. dissec. p. 931 t. XVIII p. I.› (TLG) discrepat significatione, sic etiam χέλος est testudo, χέλειον 'cancri putamen.' cf. Lobeck. Parall. p. 323. huic accedat similiter formatum τ ρ ο-χ ά λ ε ι ο ν u. 530 h. e. orbis a neutro adiectiui τροχαλός τροχαλόν (u. 476). pro ὀμφαλός forma deminutiua ὀ μ φ ά λ ι ο ν inde ab Arato uu. 207. 214. usitata inuenitur (cf. ‹Nic. al. 609 Anth. VIII. 506. epigr. ap. Diog. Laert. VIII. 45› (TLG) quibus addatur Nic. th. 468 ex coni. Hermann. Orph. p. 709) de qua formatione u. s. Schaef. ad Greg. Corinth. p. 28 n. apud unum Aratum exstat etiam uocabulum β ρ ω μ ό ς u. 1021. h. e. cibus, pastus, quod alias est βρῶσις, βρωτός, βρῶμα, βρώμη (Hom. Od. K. 400. Hes. sc. 395 Opp. Cyn. II. 352. Quint. Sm. VIII. 389); quamquam uero βρωμός a Vossio in suspicionem uocatum est, qui coniecit scribendum esse βλωμοῖο, tamen nescio quo iure reiecerit scripturam codicum mss. omnium. ce-

---

51) eandem formam Canterus Lycophr. Alex. 461 scribendam esse coniecit, eandem etiam Io. Franzius Aeschyli Agamemnoni u. 137 intulit: κατάμομφα δὲ φάσματ' ἀ η τ ῶ ν, ubi statim praecedunt uerba: στυγεῖ δὲ δεῖπνον α ἰ ε τ ῶ ν. obsecuti sunt et alii et nouissimus editor H. Kock, qui scripsit τερπάν γ' ἀ η τ ῶ ν σύμβολα κρᾶναι. quod nullo modo potest probari. denique cf. formam ἀείτης, quam in Babrii fabul. nou. coll. saepius legimus.

terum *βλωμός* quod inest in Callim. fragm.CCXL (Bentl.) ab auctore Et. M. interpretatione adscripta *ὁ ψωμός* (h. e. offa) seruato, haud quaquam aptum esse non erit quin intellegat. miram et inusitatam propter significationem digna praeterea sunt, quorum paucis fiat mentio, duo uocabula. alterum *θυτήριον* proprie significat id quod aptum est ad sacrificandum, quare satis apte pro *θῦμα* habet Eurip. Iph. T. 243 (cf. simile *σωτήριον* Aesch. Eum. 701 pro *σωτηρία*). contra Aratus u. 403 utitur hoc uocabulo pro *θυσιαστήριον* h. e. ara in qua sacrificatur[52]). alterum uocabulum est *μετάφρενον* u. 505 ubi Scholiastes haec habet *αἱ φρένες ἐν τῷ στήθει παράκεινται· μετάφρενον οὖν τὸ μετὰ τὴν φρένα ἤγουν τὸ ὄπισθεν τῆς φρενὸς τουτέστι τὸ δίμοιρον τῆς ῥάχεως*, recte sane si respicis usum Homeri Hesiodi aliorum prioris temporis scriptorum, non ita huic loco accommodatum, ubi non significat septum transuersum sed occipitium Greg. Naz. c. Astron. in Matth. lectt. Mosqq. p. 2. p. 39. *μετάφρενα τὰ ὄπισθεν τῆς κεφαλῆς λέγονται* cf. Valckenar. ad Eur. Phoen. u. 182. in capite enim sensuum et animae sedem esse putabant. quod uocabulum uti ex *μετά* et *φρήν* uel *φρένες* confectum est, eodem modo ex *αὐχήν* praefixa praepositione *ὑπό* Aratus composuit *ὑπαύχενον* uu. 487. 524, quod dubito an alio loco reperias. denique inuentorem Aratum coniicio esse uocabuli *τὰ ἱππουραῖα* u. 438 cui conferas *τὸ οὐραῖον* h. e. cauda (Soph. fragm. 700. d. Aristot. h. a. I. 5. et Homericum *ἱππουρίς* a. i. g.)

Declinatio tertia. Hic tria omnino uocabula sunt adumbranda. pro *ἄλη* h. e. (solis) anfractus apud unum nostrum reperimus uocabulum *ἄλησις, —ιος* u. 319[53]). eiusdem stirpis quam delitescere in uerbis *διχαίω* et *διχάω* ab Arato nouatis inferius demonstrabimus, duo substantiua alias inaudita apud nostrum habemus *διχάς, —άδος* uu. 807. 809.[54]) et *δίχασις* u. 737 quorum utrique inest significatio ‚dimidia pars.'

52) ceterum cf. Lobeck. Parall. p. 432. qui de mensura huius uocabuli fecit uerba. 53) illud enim *ἄλησις*, quod apud ‚Geopon. IX. 19. 7' (TLG) exstat significatque ‚molitura', huc non spectat. 54) praeterquam quod ‚auctore Hero. in Anal. Benedict. p. 309 est duorum palmorum mensura' (TLG).

Iam hinc progrediamur ad

I. Adiectiua. Notissima sunt aduerbiorum loco usurpata κατενάντια (Ap. Rh. Δ 1686. Dion. Per. 114) κατενάντιον (Il. Φ 567 Hes. sc. 73 Ap. Rh. B 350) et θαμινά Pindaricum et Xenophonteum, quae proprie esse neutra adiectiuorum constat. sed praeter Arati u. 102 mihi non notus est locus, quo κατενάντιος nec nisi u. 1074 quo θαμινός[55]) ipsis adiectiuis graecus scriptor uel poeta sit usus. quare miror quod in Passouii lexico s. u. θαμινός adnotatur huius adiectiui exemplum prorsus desiderari. haud uero absonum esse uidetur grammaticos Alexandrinos haec adiectiua ex antiquitatis caligine deprompta in litteras recepisse. ὀφιοῦχος h. e. anguitenens signum coeleste etiamsi nos ante Aratum (83. 577. 665 alias) non inuenimus commemoratum, tamen nemo erit, qui coniiciat hoc nomen ab ipso Arato huic sidere esse inditum. quod adiectiuum quia in notionem substantiuam transiit ut similia ἡνίοχος κληροῦχος, Aratus nouum conformauit adiectiuum ὀφιούχεος uu. 75. 488. 522. quo postea nemo est usus; id uero notandum poetam non esse secutum analogiam similium ἡνίοχος κληροῦχος, ad quae pertinere constat adiectiua ἡνιοχικός κληρουχικός. huc etiam spectat πνευμάτιος h. e. uentosus u. 784 deriuatum a πνεῦμα (quod significatione ‚uentus' familiarissimum est Atticis); nisi fortasse coniicias ad similitudinem adiectiuorum σωματικός, στοματικός, χρωματικός restituendam esse formam πνευματικός. a substantiuis ἀρότης et Homerico ἀχυρμιά (Il. E. 502) originem ducunt ἀροτήσιος u. 1053 et ἀχύρμιος u. 1097 apud solum nostrum reperta. ad ὠλένη spectat adiectiuum ὠλένιος u. 164 ὠλενίην δέ μιν Αἶγα Διός κτἑ. ubi addit Scholiastes ὠλενίη λέγεται διὰ τὸ ἐπὶ τῆς ὠλένης τοῦ Ἡνιόχου. sane idem addit ἢ ὡς ἄλλοι Ὠλένου θυγάτηρ, sed uocabulum διωλένιος u. 202 (praeterea Anth. VII. 711) ab ὠλένη ductum et per se constat et a Scholiasta firmatur διωλενίη δὲ ἐκτεταμένας ἔχουσα τὰς χεῖρας. composito adiectiuo ἐναιθέριος pro simplici αἰθέριος usitatissimo, praeter Aratum usi sunt etiam ‚M. Anton. XII. 24 et Poll. I.

---

55) sed Suid. Lex. θαμινώτατος, Hesych. θαμινῶς.

23.ʾ (TLG). — pro usitatiori forma νυκτέρινος habet νυκτέριος (νυκτερίη γλαύξ u. 999.) etiamsi uero νυκτερίνη γλ. (Schol. καὶ τὰς νυκτερινὰς γλαῦκας) quominus scribatur non impedit metrum, tamen cum illa forma in omnibus insit codd. mss. et apud Lucian. m. per. 28. Orph. h. 49. 3. Quint. Maec. in Anth. Pal. IX. 403. 2.ʾ (TLG) reperiatur immutatione non opus est. sic etiam pro ὀρνίθειος (u. 487) id quod rarissimum est apud poetas epicos diphthongo ει mutato in uocalem ε fecit ὀρνίθεος u. 274. — diximus p. 21 ut substantiua in — αιη exeuntia ita etiam adiectiua quae terminantur — αιος pro — ος uideri familiaria fuisse poetis Alexandrini temporis epicis. quorum quae Arato sunt propria iam enumerabimus. γαληναῖος u. 765.[56]) pro γαληνός, pro ὁπόστος h. e. quotus ὁποσταῖος u. 739 cf. Etym. Gud. 483. 10. ἀπὸ τῶν εἰς στος γένεται παραγωγὴ εἰκοστὸς εἰκοσταῖος τριακοστὸς τριακοσταῖος. sic etiam pro Κυλλήνιος quod ipse habet Callim. h. Del. 272 alias Aratus utitur forma Κυλληναῖος u. 597. ex medicorum sermone deprompsisse uidetur adiectiuum ὑπώμαιος u. 144, quamquam ne in illorum scriptis hodie reperitur. per syncopen litterae ῐ formata sunt χείμερος uu. 797. 1084 et ἀχείμερος u. 1121. pro χειμέριος. sic etiam pro παλινώριος παλίνωρος u. 452. sane Schneiderus hoc uocabulum in suspicionem uocauit et coniecit scribendum esse παλίνορσα, quod exstat u. 54. sed cum omnes libri mss. in lectione παλίνωρα consentiant et Theon Scholiastes legens hoc uocabulum annotauerit: τὸ δὲ ἑξείης παλίνωρα ἀντὶ τοῦ πάλιν τὰς ὥρας τὰς αὐτὰς ἢ πάλιν κατὰ τὰς ὥρας τὰς ἰδίας ἀνατέλλοντα καὶ δύνοντα κτἑ. dubito an recte uiderit V. D. — Adiectiua uerbalia in regulam formata deprehenduntur νήκουστος u. 173, ἄρραντος u. 136. ἀπρόφατος uu. 424. 768. quae ante Aratum non reperiuntur, νήκουστος ne postea quidem, ἄρραντος apud Strab. XI. p. 510 ἀπρόφατος apud Ap. Rh. A. 645 B. 268 alias, Nic. al. 611. significationem habent passiuam non actiuam, qua uerbalia cum ᾱ priuatiuo composita solent

56) in H. Steph. Thes. l. gr. huius uocabuli permulta reperies exempla ex Anthologia collecta.

usurpari. sed praeter tria illa dignum est cuius fiat mentio *περίσκεπτος*, quod apud Homerum (Od. A. 426. K. 211. 253. al.) a uerbo *περισκέπειν* ductum significat „undique saeptus et a procellis tutus“[57]) contra apud Callimachum epigr. V. 8. et apud nostrum u. 213 a uerbo *περισκέπτεσθαι* deriuatum apud illum est „undique uisendus“, apud hunc „undique uisibilis“ cf. Et. M. p. 664. 46. — iam antequam ad adiectiua in — $\overline{\eta\varsigma}$ exeuntia transimus, supersunt duo composita, de quibus liceat paucis disserere. alterum *ὑποδείελος* u. 826 h. e. subuespertinus, quod apud unum Aratum exstat non dubito, quin ipsi tribuam opifici. est enim facillima componendi ratione ex adiectiuo epicorum poetarum proprio *δείελος* praefixa praepositione *ὑπὸ* eodem modo confectum atque *ὑφεσπέριος* a Dionysio Per. 450. alterum est *μονόλυκος* u. 1124. *καὶ λύκος ὁππότε μάκρα μονόλυκος*[58]) *ὠρύηται κτὲ.* imprimis quaeritur, quae notio in hoc uocabulo insit. Theon Schol. haec annotat *καὶ λύκοι ὁπόταν „κατὰ μόνας γενόμενοι“ ἐπιμηκέστερον ὠρύωνται κτὲ.* quare hunc intelligimus cogitare de lupo, qui solus et ab aliis remotus uagatur. contra Aristophanes Byzantius ap. Aelian. N. A. VII. 47 haec habet: *κυνῶν δὲ καὶ λύκων σκύλακες κάλοιντ᾽ ἄν, ἢ δ᾽ ὅς· (ἔτι)*[59]) *δὲ καὶ λυκιδεῖς καλοῦνται οἱ τῶν λύκων· „ὁ δὲ τέλειος καὶ μέγιστος“ καλοῖτο ἂν μονόλυκος.* sic sine dubio intellexit etiam interpres Romanus Festus Auienus, qui uertit Progn. u. 528 „Martius ipse lupus“ e. q. s. accedunt alia. Plutarchus (uit. Demosth. c. 23).[60]) Demosthenem narrat comparasse Athenienses cum ouium grege, se ipsum dixisse eosque qui suas partes sequerentur esse canes gregem defendentes, Macedones lupos, Alexandrum regem *μονόλυκον.* denique uoca-

---

57) cf. Doederlini gloss. Hom. u. 2354. zeitschrift f. d. alterthumsw. 1841. p. 156. 58) de syllaba $\overline{\nu o}$ producta supra egimus p. 7. 59) sic emendauit Nauck Aristoph. Byz. p. 111. 60) haec in uita Demosth. (non ut Nauckius Ar. Byz. p. 115 in uita Alexandri): *ὅτε καὶ τὸν περὶ τῶν προβάτων λόγον ὁ Δημοσθένης, ὡς τοῖς λύκοις τοὺς κύνας ἐξέδωκε, διηγησάμενος, αὐτὸν μὲν εἴκασε καί τοὺς σὺν αὐτῷ κυσὶν ὑπὲρ τοῦ δήμου μαχομένοις, Ἀλέξανδρον δὲ τὸν Μακεδόνα μονόλυκον προσηγόρευσεν.*

bulum simillima ratione confectum exstat *μουνόλεων* apud Leonid. in Anth. Pal. VI. 221. 3. quod significat leonem qui in suo genere est singularis. uidemus solum Aratum exhibere alteram significationem ‚lupi, qui seorsim praedam uenatur', quod utrum nouauerit an aliunde receperit equidem non audeo diiudicare. similem vero ob notionem Nauckius Aristoph. Byz. p. 115 adscripsit uocabula *ἀτιμαγέλας* et *μονιός* h. e. taurus et sus, qui reliquerunt gregem. — Iam transeamus ad adiectiua quae terminantur syllaba —ης. pro usitatissimo *ἐρυθρὸς* apud nostrum inuenimus *ἐρευθής* uu. 784. 860. familiare postea Oppiano et in ipsam pedestrem orationem transgressum (‚Strab. XVI. p. 799. Aretae. p. 39. 45.' [TLG]). a uerbo *ἀλδαίνειν* duo propagantur adiectiua composita *ἀναλδής* et *εὐαλδής*. alterum *ἀναλδής* u. 394 ubi significat ‚id quod non crescit,' notum est ex Aristoph. uesp. u. 1040 *ἐποιήσατ' ἀναλδεῖς* h. e. ‚incrementum capere non siuistis,' a quo discrepat notio apud Aratum u. 333. ubi est ‚prohibens incrementum.' recepit hanc significationem postea nemo. eandem uero intulit uocabulo a se ipso primum usurpato *εὐαλδής* u. 217. ‚augens incrementum.' secutus est Plut. mor. p. 664. C. quaest. nat. 4.[61]) pro *ἄρραφος* Aratus in libri *Ἰατρικαὶ δυνάμεις* inscripti fragmento quod seruauit Poll. On. II. 4. utitur forma *ἀρραφής*, quae iis accedat, quarum Lobeckius Path. I. p. 423 facit mentionem. pertinet huc etiam *καταχθής* u. 1044 h. e. occupatus, quod ex Arati carmine sibi sumpsit Nic. al. 322, ubi u. Schol. denique si u. 467 recte e cod. Vindob. restituerunt VV. DD. pro eo quod in reliquis inest *ἀπλανέες*, *ἀπλατέες*, etiam hoc uocabulum *ἀπλατής*, quod praeterea non exstat nisi apud Lucian. Hermod. 74., huc reponatur. — His subiungimus nonnulla adiectiua composita. *περιμεμφής* u. 109 (sic enim omnes codd. praeter Vratisl. qui *πολυμεμφής* praebet uocabulum Nonno familiarissimum. ‚D. IV. 35. XXXIX. 272. Par. X. III.' [TLG]), quo solus

61) significatione ‚bene crescens' restituit hoc uocabulum Schneiderus ap. Nic. al. 453 e codd. Gott. Paris. ed. Ald. cf ‚Anth. IX. 325. app. 50. 24' (TLG).

utitur Aratus. πολυγλαγής Arato u. 1100 apud quem est epitheton anni felicis, commune est cum Nonno D. IX. 176. ubi mammarum epitheton.[62]) πολυτειρής uu. 604. 668. h. e. ‚stellatus' descendens de uocabulo τείρεα apud unum Aratum exhibetur; quamquam iisdem litteris scriptum sed a τείρω formatum inuenies apud Quint. Sm. IV. 120. XIII. 360.[63]) Satis mirifice confectum est adiectiuum πυριβήτης u. 983 pro Homerico ἐμπυριβήτης (Il. Ψ. 702). male hoc Arateum Homero uoluit inferri Vossius. simili ratione lucernae myxa uocatur πυριλαμπής u. 1040 siue quia igne siue quia in igne fulget. ceterum hoc uocabulo inuento fortasse ab Arato usi sunt etiam Oppian. Cyn. III. 72. Maneth. II. 37. 72 (exstat etiam in Anthol. I. 10. 41. nec non apud pedestris orationis scriptores inferiorum temporum). u. 476 Hermannus ad Orph. p. 824 pro περιγληνές uult scribi πυρίγληνον, quod uocabulum Tyrwhittium in indice Orph. lith. u. περίγληνοι obseruasse testatur recentioribus esse frequentatum; hoc πυρίγληνον coniicit primum Aratum usurpasse. sed codd. uno excepto Paris. C. in quo legitur περιγληφὲς omnes exhibent περιγληνές et hoc quidem a γλῆνος originem ducens significansque „gemmis uel stellis (cf. u. 318) circumdatum" (Buttm.) epitheton orbis lactei multo aptius est quam illud πυρίγληνον h. e. ‚fulgentibus oculis praeditum' (Buttm.). quare codicum scripturam seruandam esse censeo. ceterum ne hoc quidem uocabulum ante Aratum exstitisse uidetur, quem patrem habere coniicio. denique hic habeat locum adiectiuum παλιρρόθιος, quod ab Homero actiua significatione de fluctu refluo, apud nostrum metaphorice de gruum agmine (u. 1012) et de naue usurpatur quae retrograda ad terram adpellitur (u. 346). contra simile compositum πολυρρόθιος u. 412 passiuam habet notionem denotatque homines τοὺς περικλυζομένους τοῖς κύμασι (Schol.). Sed haec quidem hactenus. pergamus ad

---

62) cf. Hom. Il. Π 642. περιγλαγής, ubi Apollon. Lex. 204 legit πολυγλαγέας. 63) cf. Schol. Arat. u. 665.

III. Aduerbia. incipiatur ab iis quae suffixo *θεν* terminantur. pro *πέραθεν* apud Aratum primum exstat *περαιόθεν* uu. 443. 606. (cf. Ap. Rh. *Δ*. 71.) h. e. ‚ab ulteriore parte' *ἰξυόθεν* u. 144. *ἑσπερόθεν* uu. 710. 734. 891. *γενέηθεν* u. 259. et Anth. *ἠπειρόθεν* praeter Aratum (u. 1094.) habet etiam Anna Comn. p. 371. A. ad usum denique et significationem peculiarem dignum uidetur, cuius fiat mentio *ἐγγύθεν*. hoc enim pariter atque *ἐγγύς* et *ἐγγύθι* apud Homerum non nisi de loco et tempore usurpatur. Aratus quod u. 181 *Διὸς ἐγγύθεν* adhibet de propinqua cognatione ab Atticis poetis (Aesch. fr. [Niob.] 169. 2. Suppl. 373) sibi sumpsisse uidetur; quamquam etiam hi saepius addunt genetiuum *γένους*. — Verum ne ullam latebram relinquamus inuisitatam, addamus pauca de aduerbio *οἰόθεν*. quod constat apud Homerum nonnisi cum adiectiuo *οἶος* iunctum reperiri[64]) contra apud Aratum u. 55 haec leguntur: *οὐ μὲν ἐκείνῃ* ·/. *οἰόθεν οὐδ' οἶος*[65]) *κεφαλῇ ἐπιλάμπεται ἀστήρ.* iam cum Schol. haec annotet *ἐκείνῃ ἤγουν τῇ σπείρᾳ οὐδ' οἰόθεν ἤγουν ἐξ ἑνὸς μέρους, οὐδ' οἶος ἤγουν εἷς, ἀλλὰ πολλοί εἰσιν ἐπικείμενοι τῇ τοῦ Δράκοντος κεφαλῇ φαιδροὶ ἀστέρες*, assentior Vossio qui contendit scribendum esse datiuum *ἐκείνῃ* et Buttmanno, qui, quamquam non recte dedit nominatiuum *ἐκείνη*, tamen uidit *ἐκείνῃ* ad spiram esse referendum. quae cum ita sint, adstipulor Haackio[66]) qui intellexit in eo, quod Apollonius Rhod. (A. 270.) solum posuerit *οἰόθεν* nec Homerico more cum *οἶος* iunxerit, Aratum, quippe qui primus hoc sibi indulserit, habere antecessorem. sed ignorare non debemus poetam Homerici usus haud immemorem quamquam non eiusdem sententiae, eiusdem tamen uersus necessitate duo illa

64) cf. Il. H. 39. 226. monatsber. der königl. pr. ac. d. wiss. z. Berl. 1861. 2. p. 1038. 65) mala fortuna in Vossii editione impressum est *οἶος*. 66) de elocutione Apoll. Rhod. diss. Hal. 1842. 8. p. 6. — ceterum ab hoc *παραλληλίσμῳ ἐκ ταὐτότητος ἐν παραθέσει* (Eustath. p. 437. 24) Aratum non esse alienum, inde intelligimus, quod u. 527 coniunxit *μεσσόθι μέσσος* cf. Lobeck. Path. I. p. 178. neque pleonasmum euitat. cf. u. 20 *πάντ' ἤματα συνεχὲς αἰεί*, 338 *ἐμμενὲς ἤματα πάντα* a. i. g.

uocabula coniunxisse. simillima est ratio aduerbii ἐμμενές quod Homerus semper copulat cum αἰέν, Aratus semel u. 891 illam consuetudinem tuitus bis uu. 83 et 339 absolute posuit. ἤλιθα, cui aduerbio apud Homerum semper accedere adiectiuum πολύς constat (Od. *E*. 493. I. 330. *Ξ*. 215. Il. *Λ*. 677.) apud Aratum coniunctum est cum πᾶσαι u. 254. Aratus uero in hoc usu antecessisse uidetur Apollonio Rh. quippe qui ἤλιθα posuit absolute (*Γ*. 312. *Δ*. 177. 1265.). — Sed iam ad propositum reuertamur. aduerbia in ‾θι exeuntia duo enotaui: ἀκρόθι, quod apud unum Aratum exstat u. 308., et οἰόθι, quod praeter Arati u. 376 non inuenitur nisi apud Ap. Rh. B. 709. *Γ*. 995, totidem in ‾δον. pro σφαιρηδόν apud unum Aratum u. 531 legimus περισφαιρηδόν, sic enim ex omnibus codd. recte ediderunt Buttmannus et Bekkerus; et ipse Scholiastes sic habuit, quare non uideo cur Schneiderus statuerit scribendum esse πέρι σφαιρηδόν. a uerbo διαστῆναι formatum est διασταδόν u. 209 serioribus poetis proprium Arato Apollonio Oppiano. et Aratus quidem atque Apollonius (*B*. 67) propriam seruarunt notionem: ‚distanter' (cf. Fest. Auien. u. 478 ‚et spatio disiuncta pari fax aemula flagrat'), unde orsa est altera significatio ‚ex aduerso,' qua idem Apollonius (*Δ*. 940) et Oppianus (hal. I. 502) aduerbium copulant cum datiuo. pro Homerico Hesiodeoque ἰλαδόν et apud seriores poetas epicos usitato ἰληδόν Aratus uersus necessitate fortasse coactus nouam et alias inauditam confecit formam εἰληδά u. 917 ex ionico εἰλή ut uidetur ductam. duo uel si mauis tria aduerbia in — ‾δην exeunt. ἐπιρρήδην ante Arati tempus ignotum significat auctore Eustathio ῥητῶς et ὀνομαστικῶς uu. 261. 465 et translatum ad uisum u. 192 ‚clare.' postea usus eo est Ap. Rh. B. 640. 846, sed eadem significatione atque διαρρήδην. propter notionem afferamus παρβολάδην et παραβλήδην, quorum propria significatio ‚a latere' semel exstat u. 318, uu. 525. 535 tralaticia ‚aequi distanter.' simplicis μελεϊστί loco Homero familiaris fingens sibi, quod licebat, Aratus, si non in usu inuenit (Buttm. ad u. 624) uocem καταμελεΐζειν formauit aduerbium καταμελεϊστί u. 624, quod postea obmutescit. ἐπιτάξ u. 380

Scholiastes recte interpretatur κατεξῆς, κατὰ τάξιν; Helladius in Chrestomathia τὸ ἐπιτὰξ παρὰ Καλλιμάχῳ καὶ Ἀράτῳ κείμενον ἀπὸ τοῦ ὁριστικοῦ μέλλοντος κατ' ἀποβολὴν τῆς ἐπὶ τέλει μακρᾶς συλλαβῆς, ὥσπερ καὶ χωρίς χωρίσω cf. Et. M. s. u. ἐπιτὰξ Ernesti ad Callim. fr. CCCXXVII. Bentl. De uocabuli αὐτίκα notione quae insolenter apud Aratum haud raro est ‚rursus.' ‚uicissim,' cum Buttmannus excursu II. editioni subiuncto accuratissime disseruerit, superuacaneum est hoc loco uerba facere. nouissimum locum obtineant quatuor adiectiuorum neutra aduerbiorum locous urpata: ἀμενηνά uu. 883. 905, alias ignotum, χερσαῖα u. 919 et Schol. And. Il. N. 791. ὥριον u. 1076 et Anth. VI. 198. 1. ἥσυχον u. 1000. et olim legebatur ap. Theocr. XIV. 27.

IV. Verba. Terminationis — ᾱζω loco quatuor uerba in — ᾱω aut in — ᾱιω exeuntia apud primum Aratum exstant. de σταλάω u. 962 (966)[67]) pro σταλάζω disseruit Lobeckius Techn. p. 175. simillimum est τροχάω uu. 27. 227. 309 pro τροχάζω[68]) διχάω uu. 512. 605. 799. 856 et διχαίειν uu. 495. 807 pro διχάζω. ἰσαίομαι uu. 235. 513. (de cuius mensura supra diximus p. 8) postea etiam apud Nicandrum al. 399. fragm. II. 56. inuenitur. praeterea eodem modo quo apud antiquiores poetas reperiuntur ξενίζω et ξενόω uel ξενόομαι, pro ἀστερίζω et Aratus et Plutarchus (mor. p. 879. 5.) utuntur formis uerbi ἀστερόω u. 548. huc denique pertinent etiam ὀχέω u. 1070 pro ὀχεύω, τριτάω u. 796 h. e. ‚tertius sum'[69]) pro τριτεύω (cf. Boeckh. C. I. 3491. 7; 3495. 7.). Lobeck techn. p. 187. quae omnia etiamsi fortasse non sunt ipsius Arati nouantis, sed e sermone aequalium recipientis, tamen inuentori ei tribuamus uerbum ἀπτερύεσθαι u. 1009, cuius forma ἀπτερύονται pro ἀπτερύσσονται usum

---

67) hoc enim loco fluctuant libri scripti (cf. p. 6. σταλαγμ.) et editi: Vossius σταλόωντα, ed. Didot. σταλαγμοὺς; alii retinent meliorum codicum scripturam σταλαγμούς. 68) cf. Hom. ἁματροχάοντα Od. O. 451 et simile πελάω Arat. 272. Hom. h. VI. 44. Anon. ap. Plut. mor. p. 457. C. Oppian. pro πελάζω. 69) quamquam apud „African. Cest. c. 25 p. 298 est ‚tertio facio', apud Porphyr. ad Marcell. p. 53. ‚in tres partes diuido'" (TLG).

esse nostrum pari modo metri necessitate coactum atque Homerus pro ἐξαφύσσοντες debuerit dicere ἐξαφύοντες (Od. Ξ. 95.) docet Lobeckius Path. I. p. 39. cui assentior etiam reiicienti emendationem Vossii αὖ πτερύονται, quam sane suppeditat cod. Paris. G. sed meliores codices et Scholiastes (προσέθηκε τὸ α διὰ τὸ μέτρον) aspernantur. α uero littera euphoniae caussa ut huic uocabulo a poeta est addita, sic resecta est a uerbo μείρεσθαι h. e. carere, (μειρομένη u. 657) pro ἀμείρειν (Pind. Pyth. VI. 27) uel ἀμέρδειν (Hom. Il. X. 58). [70]) pro ἄησθαι u. 313 utitur etiam uerbo ἀητεῖσθαι u. 523 ab ἀήτης formato. non enim existimo fore cui magis placeat codicis Vindob. lectio ἀεὶ κεῖται (ἀεὶ: — —?). ὀρύχειν u. 1086 ut metro satisfaceret pro ὀρύσσειν non alia ratione uidetur dixisse atque ad βράσσειν reperiuntur βράχε uel ἔβραχε. denique ne uerbum ἀδρανέειν quidem u. 471. ante Aratum in litteris reperitur. — Jam ad huc usque uerbis simplicibus enumeratis ad composita transeamus. ad τροχάειν, cuius supra fecimus mentionem, pertinent ἐπιτροχάειν u. 889. (satis usitatum apud Ap. Rh. et Dion. Per.) et περιτροχᾶσδαι u. 815 cuius medii alia exempla prorsus desiderantur. apud unum Aratum reperiuntur etiam διαφημίζειν uu. 221. 442. ἀποκίδνασθαι u. 735 μετασκαίρειν u. 282. sic enim Cicero legisse uidetur, qui uertit (u. 55. Buhl.) ‚Ipse autem labens utrisque Equus ille tenetur || Piscibus.' Festus Auienus uero in exemplari suo habuit μετὰ σκαίρειν quare sic uertit (u. 645) ‚Nam post cornipedem flagrant duo sidera Pisces.' familiarissimum Arato est, quod ipse confecisse uidetur ἐπιτεκμαίρεσθαι uu. 142. 229. 456. 801. 932.

---

70) cf. Korai Ἄτακτα II. p. 1. — Errasse enim Zenodotum qui Il. H. 127 μειρόμενος pro μ' εἰρόμενος uoluerit scribi cf. Spitzn. ad Il. l. l. intellexit Schol. Arat.: Ὅμηρος τὸ μείρεσθαι οὐκ ἐπὶ τοῦ στέρεσθαι τίθησιν ἀλλ' ἐπὶ τοῦ μερίζεσθαι. Ceterum uerbum μείρεσθαι ea qua apud nostrum est significatione quamquam hodie nisi hoc loco non perhibetur, tamen olim etiam alias exstitisse inde sequitur, quod Hesychius habet μείρεται· στέρεται κτέ. quandoquidem certum est Hesychium ne semel quidem attingere uerba Aratea. — aphaeresis huius modi plura exempla inuenies apud Lobeck. Path. I. p. 37. collecta.

1037. pro simplici τεκμαίρεσθαι. uti uero uerbum βλέπειν ab Ionicis poetis alienum fuisse, postea inde a Callimacho (lan. Pall. 20. fr. CLXXIII. 2.) poetas temporis Alexandrini ex Attico sermone sibi sumpsisse recte fortasse monuit Vossius, ita etiam uerbum compositum μεταβλέπειν u. 186 non nisi seriori Graecitati inde ab Arati tempore est proprium. ceterum notandum est a nostro absolute esse positum ‚oculos ex aliqua re coniicere in aliquid. (contra Ap. Rh. A. 726. coniunxit cum accusatiuo). παραθλίβειν u. 993 inuentum fortasse ab Arato post longum temporis intervallum occurrit apud ‚Onesicr. Strateg. p. 41. ed. Cor.; Sext. Emp. Pyrrhon. A. 47. Theoph. Simoc. H. Oec. p. 83. 10. p. 58. 1. ed. Bekk.' [TLG]. in Prognosticis secutus est Aratus cum alios tum Democritum philosophum. quod uerum esse si fragmentum quod exstat sub eius nomine apud Plut. de sanit. praec. 14. (II. p. 129 A.) συσὶν ἐπὶ φορυτῷ μαργαινούσαις κτἑ. Arateo uersui 1123 comparaueris non negabis. inde uero sequitur uerbi ἐπιμαργαίνειν quod ἅπαξ est εἰρημένον[71]) opificem esse nostrum. περιδνοφέειν si VV. DD. recte in suspicionem uocarunt, Aratus a δνόφος fingens uerbum δνοφέειν cum praepositione composuisse uidetur. quod si concedis, tum eadem est ratio uerbi συνασταχύειν u. 1050, nam ne simplex quidem ἀσταχύειν hodie usquam legitur.

In nouissima acie collocabo nonnulla uerba, quae deflexa paullulum a genuino significatu apud solum Aratum reperiuntur. sic quae alias sunt intransitiua, transitiuam notionem intulit his: ἀγείρεσθαι u. 106. h. e. ‚circum se conuocare' ut monet Scholiastes ad h. l. ἀγειρομένη δὲ ἀντὶ τοῦ ἀγείρουσα. ὑποσκέπτεσθαι u. 96. est ‚sub aliqua re conspicere aliquid.' περιπαπταίνειν u. 297: πέλαγον περιπαπταίνοντες dicit quasi haberet simplex παπταίνειν (Il. Δ. 200. Ap. Rh. Γ. 513. Mosch. IV. 109). contra intransitiua insolenter habet haec. ἐπιρρήσσειν u. 292. h. e. ‚irrumpere', ἐπιπλήσσειν u. 1095 h. e. irruere, ἠγηλάζειν (uel ut mauult

71) sed legimus sane apud Suidam ἐπίμαργος, quod interpretatur μεμηνώς.

Buttmannus ὑφηγηλάζειν) quod proprie est ‚ducere,' u. 893 significat ‚circumuagari.' αἰθύσσειν u. 1034 h. e. ‚micare,' ‚corusca tremulaque flamma ardere' [72]). Ceterum ne media quidem παρελαύνεσθαι u. 675, περιτροχᾶσθαι l. l. κολλᾶσθαι u. 530. [73]) alio loco inueniuntur. notissimum salutandi uerbum Homericum est δεικανάομαι (Il. O. 86. Od. Σ. 111.) et item περιτρομεῖσθαι (Od. Σ. 77), minus notae erunt actiuae formae δεικανάειν h. e. ‚demonstrare' et περιτρομέειν non cognitae nisi e sequioris aetatis poetis illa Arato u. 208 et Theocr. XXIV. 56., haec Arato u. 861 et Quint. Sm. III. 182. denique mentio fiat formae φύονται u. 47, ubi significat ‚sunt', nisi fortasse rectius Buttmannus e tribus codd. reuocandum censuit φέρονται.

Sed haec iam hactenus. uidemus Aratum quamquam in universum sermone uti soleat Homerico et elocutionem epicis Homeri Hesiodique ut ita dicam coloribus ornare studeat et tingere, tamen haud quaquam alienum esse a formis undecumque receptis, aliis nouatis nec non ab ipsis uocabulis inuentis et conformatis. uidemus iure suo Bernhardyum (Hist. l. gr. II.[b] p. 631 s. f.) de Arato dicere: die sprache künstlich und eigenthümlich in der grammatik besonders in der syntax, aber nicht frei von härten. Quare iam restat ut in fine commentationis de syntaxi Aratea accuratius disseramus.

CAPVT IV.

De syntaxi.

Hic potissimum de casibus est agendum, ad quos uero pertractandos antequam transimus, liceat alia paucis attingere.

---

72) cf. Ruhnk. ep. cr. 21. (33) Piers. ueris. 1. 10. p. 125. Wernick. ad Tryph. 59. p. 106. 73) κολλήσαιτο enim in omnibus codd. nec opus est ex Scholii lemmate scribere κολλήσειεν.

I. De *ellipsi* uocabuli *σελήνης* in *ἐκ διχομήνου*[74]) u. 808 uix opus est plura uerba facere. cf. Choerob. ap. Bekk. an. p. 1126. *Numerus dualis* nec nominis nec uerbi apud Aratum exstat.[75]) qui poeta etiam ab eo usu Homerico recedit, de quo disseruit Spitznerus ad Il, *Α*. 43. *δύω* uel praecedente uel subsequente et Homeri et aliorum sibi expetere eundem nominis numerum cf. eund. ad Il. *Π*. 587; Aratus enim ubique utitur numero plurali *δύ᾿ ἰχθύες ἀμφινέμονται* u. 282 *δύο — ἐειδόμενοι φορέονται* || *᾿Αστέρες* u. 395.[76]) *Pluralem neutrius generis* iubent grammatici coniungi cum singulari numero uerbi, a qua regula constat iam Homericam artem plus semel aberrare. quare apud Aratum cum reperiantur talia qualia sunt *δεσμὰ κεῖται* u. 203 et *γένοντο ἄστρα* u. 381 *τρία περιτέλλεται* u. 509 et *τὰ δὲ πέντε δινεύονται* u. 510 *πάντα κατέρχεται* u. 677 *πάντα πεφασμένα κεῖται* u. 743 *πάντα σήματα τέτυκται* u. 805 et *πάντα φύωνται* u. 13 *πάντα φέρονται* uu. 385. 590. a. i. g. non erit opinor quin facile intellegat Aratum eo semper uti numero, cuius formam expetit uersus necessitas. sed sunt sane nonnulla quae certioribus finibus possunt circumscribi. id enim quod Lobeckius (Path. I. p. 16. n. 6.) docet de Homero eodem modo ad Arati artem spectat; dico in nouissimo uersu constare formam *κεῖται*: *σήματα κεῖται* uu. 168. 820. *τέσσαρα κεῖται* 317. cf. 515. 437. 742. 759. neque solum in nouissimo, sed etiam in medio uersu cum neutris pluralis coniunctam habemus formam *κεῖται* uu. 203. 459. 462. 482. plurales uero formae *κέονται* et *κέαται* sequuntur masculina uu. 457. 492. sic etiam cum uu. 521 et 576 in calce uersus apud neutra *φορεῖται* et alias (uu. 29. 146. 249.) eodem uersus loco aliae uerbi *φορεῖσθαι* formae reperiantur, coniicias fortasse uu. 385. 590. *φέρονται*

---

74) sic enim sine controuersia scribendum ex nouem Bekkeri codd. cod. Vrat. et Stobaei (qui uersus Arati 778 — 818 laudat ecl. phys. p. 61 sq.) cod. Aug. cf. Hom. h. XXXII. 11. 75) de formis *κρώξαντε* et *βοῶντε* supra diximus p. 17. 76) eodem modo Callimachus apud uerba *ἄμφω* et *δύω* spernit dualem cf. h. Cer. 95. h. Dian. 90. 233. h. Del. 61. alia. Apollonius Rhodius modo duali utitur modo plurali A 163. 407. 1169.

mutandum esse in φορεῖται et uu. 1016. 1033 scribendum φορῆται, sed hanc coniecturam refutare uidentur codd.

Quibus iam peractis transeamus statim ad

II. Casus. 1. *Genetiuus.* Inchoando sermoni aptissimum est id quod Aratus scripsit ποδὸς ἐς πόδα τείνει u. 185. ποδός enim genetiuus notionem quam hic casus natura habet seruat et significat locum unde fit uel cogitatur motus; quamquam usitatius est addere praepositionem ἐκ uel ἀπό. — Absolutus genetiuus apud pronominis personalis datiuum ut εἰ δέ οἱ ἢ ἀνιόντος ἢ αὐτίκα δυομένοιο ‖ ἀκτῖνες συνίωσιν ne ab Homerica quidem consuetudine est alienus cf. Krueg. gr. II. 47. 4. 1.

Genetiui caussam indicantis exempla habemus haec. καθαπτομένη κακότητος u. 121. id quod eam ob rem notatu dignum esse existimo, quia loco praeter hunc nisi fallor nullo apud uerbum καθάπτεσθαι [77]) exstat rei genetiuus, immo ne personae quidem apud Homerum aliosque poetas epicos reperitur (qui ubique utuntur accusatiuo). idem genetiuus cum timendi uerbis coniunctus apparet in πεφοβημένος θαλάσσης u. 766 — νυκτός u. 290.[78]) περιτρομέειν ὑετοῖο u. 861 (c. acc. Quint. Sm. III. 182. 364.); quibus adscribenda etiam uidentur ὄφιος πεπονήαται u. 82. h. e. ‚discruciantur, fatigantur serpente' (uel ut Schol. interpretatur ἀμφότεραι αἱ χεῖρες τοῦ ὀφιούχου περὶ τὸν ὄφιν ποιοῦσι καὶ ἐνεργοῦσιν) et κείνων πεπόνησο u. 758. h. e. ‚illis da operam' (cf. Schol. ἐκείνων — ἐπιμέλειαν ἔχε κτἑ).

Arato proprius praeterea neque indignus, qui paucis attingatur, est usus genetiui apud uerba, quae significant ‚indicem esse alicuius rei' siue ‚pronuntiare aliquid' θέρεος καὶ χείματος ἀρχομένοιο σημαίνειν u. 267 qui genetiui ex uocabulo σημεῖα quod latet in σημαίνειν pendent cf. u. 964. (Schol. u. 267 Ζεὺς — θέρους ἀρχ. καὶ χείμ. σημεῖα φέρειν ἐποίησε). ἀμφότεροι δὲ πόδες γαμβροῦ ἐπισημαίνοιεν Πέρσεος u. 248. quem Hellenismum nominat Scholiastes

---

77) de eodem uerbo sed significante ‚adpelli' cf. infr. 78) non enim opus est genetiuum νυκτός habere temporalem.

ἀντὶ τοῦ οἱ πόδες αὐτῆς (h. e. Andromedae) *τὸν γαμβρὸν ἐπισημαίνοιεν τὸν Περσέα.* sed Aratus huius usus fines longius profert; hunc enim genetiuum coniungit etiam uerbo *διδάσκειν ἀεξαμένοιο διδάσκει μηνός* u. 734, *χειμῶνος διδάσκει* u. 793. immo uerbis *λέγειν* et *εἰπεῖν*: *χειμῶνός κε λέγοιεν* u. 1048, *εἴποι τις ἐπερχομένου χειμῶνος* u. 1066.[79])

Huc etiam reponantur uerba sperandi et exspectandi *ἐλπόμενος πολυγλαγέος ἐνιαυτοῦ* u. 1100. quae dicendi ratio quod scio alius scriptoris auctoritate prorsus est destitutus. *δέχεσθαι*: *δειδέχθαι βορέω* u. 793, *ἀνέμοιο νότου* u. 907 *ἐρχομένοιο πνεύματος* u. 928 participium *δεδοκημένος*,[80]) quod actiuam habere notionem ex Scholiastarum praeceptis docet Spitzn. ad. Il. O. 730, et cum genetiuo *ἤματος* u. 559 coniunctum inuenimus significatione ‚obseruans diem.' — Arcta significationis propinquitate cum iis, quae modo tractauimus, cohaeret uerbum *περισκοπέειν*, quod cum genetiuo *ἀνέμοιο* h. e. ‚uentum speculari' uu. 435. 925 uel *ὑετοῖο* u. 987, sed u. 464 cum accusatiuo coniunctum est, et item uerbum praesagiendi *φράζεσθαι*, in quo non solum significatus offendit, sed etiam genetiuus quocum copulatur: *χειμῶνος* u. 745. Restant duo uerba, quae cum significent ‚animum aduertere' uel ‚studere,' non incommode huc possunt reponi: alterum *ἐπιτεκμαίρεσθαι* satis frequens apud Aratum est uu. 456. 1037. 1129 alias. alterum semel exstat *εἱλίσσεσθαι* u. 1030 ‚*μέλισσαι — μέλιτός τε καὶ ἔργων εἱλίσσονται.*'

Notissimus est genetiui usus apud uerba *πυνθάνεσθαι* (uu. 403. 782 alias) *ἀκούειν* (u. 336) aliorum nec minus notum apud Homerum fore existimo uerbum *ἐπίστασθαι* coniungi cum accusatiuo, genetiuus non nisi cum participio *ἐπιστάμενος* nec plus semel apud Hom. (Od. *Φ*. 406 *φόρμιγγος*), semel ni fallor apud Ap. Rh. (*B*. 1225 *πολέμοιο*) sed significatione

---

79) sic enim legitur in codd. Paris. G. Vrat. et ex correctura in codd. Pariss. A. E. Mosq. nec opus est cum Buhlio accusatiuum scribere.

80) originem ducit a uerbo *δοκεῖν*, non ut docet Buttmann. gr. ampl. §. 112. 9. a *δέχεσθαι*. — de uerbis *ἐπιτεκμαίρεσθαι* et *δοκεύειν* u. s. infr.

‚peritus' copulatur. quare cum u. 108 Aratus scripserit *νεί- κεος ἠπίσταντο* uelitque intelligi 'litem norant', Graecus Scholiastes, cuius aures hanc dicendi rationem fere respuebant, paulisper indignatus non iniuria uidetur annotasse *Ἑλληνισμὸς πάλιν τὸ τοιοῦτο „οὔπω ἠπίσταντο νείκεος" ἀντὶ τοῦ οὔπω εἴδησαν τὰς ἀδίκους στάσεις ταύτας καὶ φιλονεικίας.*

Mirus praeterea apparet usus genitiui apud uerba *βά- πτειν* et *ἐμπίπτειν.* uerbum enim *ἐμπίπτειν* apud Hom. (Il. Δ 108 Od. Θ 485) sequitur aut tertius casus aut quartus et *εἰς* praepositio. contra Aratei carminis u. 635 legimus *ἐμπίπτοιεν εὐρρόου ὠκεανοῖο.* sane Vossius nescio quo iure contra omnium librorum mss. auctoritatem in antecedente uersu *ἄν* mutato in *αὖ* scribendum esse censuit *ἄν βάπτοιεν εὐρ. ὠκ.* sed ne *βάπτειν* quidem uerbum cum genetiuo iunctum ut *βάπτοι ῥόου ἑσπερίοιο* u. 858, *βάπτων ὠκεανοῖο* u. 651. *ποταμοῖο ἐβάψατο* u. 951 superiori Graecitati conuenit[81]), neque apud inferiores scriptores nisi Luc. Euang. c. XVI. 24 (*ἵνα βάψῃ τὸ ἄκρον τοῦ δακτύλου αὐτοῦ ὕδατος*) reperitur. uidetur Arati animo obuersatum esse Homericum illud *λούεσθαι ποταμοῖο* (Il. Z. 508), qui Aratus iam id, quod in uerbo *βά- πτειν* sibi indulsit, transtulit etiam ad uerbum *ἐμπίπτειν.* sic denique explicari debebit *ἀρύονται ὠκεανοῖο* u. 746. h. e. ‚emergunt ex oceano', quam dicendi rationem uehementer dubito, an alias usquam reperias. His similia subiungantur uerba tangendi, quorum duo h. l. mentione digna habeo. alterum *ἐπαφᾶσθαι* praeter Arat. u. 93 et ‚Anth. V. 222' [TLG] cum genetiuo coniunctum exemplis caret, alterum *κα- θάπτεσθαι ἠπείροιο* u. 347 ‚ad terram adpelli' siue ‚attingere terram' Homerici *ἐφάπτεσθαι* (Od. Δ. 348) uice uidetur fungi.

Crebrior apud Aratum est usus, ne dicam abusus genetiui cum participiis coniuncti eadem significatione, qua alias praepositio *ὑπό* et genetiuus usurpantur. cf. Bernhardy. gr. synt. p. 140. *ὄρεος κεκρυμμέναι* u. 564. *βεβολημέ- νος Ἀρκτούροιο* u. 609 *ἀμφοτέρων κεχρωσμένος*

81) Hom. Od. Δ. 391 cum *ἐν* praep.; Eurip. Herc. fur. 929 cum *εἰς*.

u. 838 *νεφέων πεπιεσμένος* u. 842. *Ἀθηναίης χειρῶν δεδιδαγμένος* u. 530, ubi Scholiastes *Ἑλληνισμὸς ἀντὶ τοῦ κατὰ χεῖρας μαθὼν καὶ παρὰ τῆς Ἀθηνᾶς διδαχθείς.* cuius licentiae fines proferens etiam ad uerbum finitum scripsit *περικλύζοιο θαλάσσης* u. 287 pro *ὑπὸ τῆς θαλάσσης* (cf. Schol.); assentiendum enim censeo Buttmanno qui uulgatam lectionem ex immutatione Buhlii restituit. Sed plus aequo sibi arrogasse uidetur Aratus, qui *θέει γαίης* u. 605 dixit ut significaret ‚currit *sub* terram.' notissimum est Homericum *θέει πεδίοιο* ‚currit *per* campum' sed quantum inter utramque dicendi rationem intersit nemo non intellegit. quare non male fortasse coniicias locum Arateum esse corruptum. quamquam tenendum est ipsum Scholiasten Theonem sic legisse, adnotauit enim: *λείπει ἡ ὑπὲρ πρόθεσις, ἵν' ᾖ ὑπὲρ γαίης, ἡ γὰρ Ἀργὼ φέρεται ὑπέργειος.*

Iam eorum quae Aratus in usu genetiui habet inusitata agmen cogat uerbum *φυλάττεσθαι*, quod poeta significatione ‚cauere' uu. 48. 1125. et ‚obseruare' u. 930 [82]) cum genetiuo copulat.

2. *Datiuus.* Ad loci significationem datiuum haud raro carere praepositione *ἐν* ex Homericis carminibus notum est. cuius datiui etiam apud nostrum satis multa. habes exempla: *Χίῳ* u. 639, *Ζηνί* u. 275, *αἰθέρι* u. 461, *οὐρανῷ* u. 20. *πελάγει* u. 413 alia. neque temporalis datiuus *νηνεμίῃ* u. 1033. pro genetiuo (cf. Ap. Rh. *B.* 969) uel datiuo et *ἐν* praepositione habet quidquam offensionis.

Vu. 139. 314. datiuus *μεγέθει* accedit ad uocabulum *τόσσος*, qui pleonasmus etiamsi exemplo ex epicis poetis desumpto ne uno quidem potest confirmari, similia tamen ex Herodoto aliisque pedestris orationis scriptoribus collecta adscripsit Hermannus ad Lucian. hist. scrib. c. 31. p. 199. quibus addas duo Herodotea II. 74 *ὄφιες μεγάθεϊ ἐόντες σμικροί* et IV. 52. *κρήνη μεγάθεϊ σμικρή.* V. 65 scripsit Aratus *τὸ μὲν — εἰπεῖν,* || *οὐδ' ὅτινι κρέμαται κεῖνος*

---

82) melius u. 972 usus est accusatiuo.

πόνῳ, ἀλλά μιν αὔτως || Ἐγγόνασιν καλέουσι. quaeritur quid sit κρέμασθαι πόνῳ. ea quae Scholiastes adnotat καὶ γὰρ ὀκλάσας[83]) καὶ καταπεσών ἐστιν, ὡς ἀπό τινος καμάτου difficultatem, quae inest in loco, non tollunt; κρέμασθαι enim non potest idem significare atque ὀκλάζειν. dolendum est, quod Ciceronianae interpretationis hic uersus ad nostram memoriam non peruenit (cf. Cic. N. D. II. 42. 108), neque ex ipso Arati uerbo μογέοντι colligi potest Ingeniculus utrum defessus aerumnis (cf. Hom. Od. Ω. 387) an incumbens labori fingatur. sed uidetur κρέμασθαι h. l. idem esse atque ἐγκρέμασθαι.[84]) Supersunt duo uerba ἐπιτεκμαίρεσθαι et δοκέειν (uel δοκεύειν); apud Atticos poetas τεκμαίρεσθαί τινι significat ‚colligere ex aliqua re,' Aratus uerba ἐπιτεκμαίρεσθαι, cuius opificem supra ipsum notauimus (p. 33.) et δοκέειν cum datiuo (u. 229) et cum genetiuo (u. 456.) coniungit „ex aliqua re colligere aliquid." (cf. uu. 1037. 1129. 803. 804. 813. 908.).

3. *Accusatiuus.* Ad hunc casum perpauca sunt adnotanda. — de accusatiuo apud uerbum τείνεσθαι u. 990, quocum alias εἰς praepositionem et accusatiuum inuenimus coniuncta, uide sis ea quae adnotauit Vossius ad h. l.

Absolute positus est accusatiuus u. 332. οὐκ ἔτι κεῖνον ἅμ' ἠελίῳ ἀνίοντα, φυταλίαι ψεύδονται κτέ. cf. Schol. Ἑλληνισμός ἐστιν ἀντὶ τοῦ οὐκέτι ἐκείνου ἀνιόντος ἅμα ἡλίῳ ψεύδονται αἱ ἄρουραι κτέ. malim enim etiam in hac re tribuere fidem Scholiastae, quem secutus est Brunckius ad Ap. Rh. A. 396. quam Buhlio, qui pendere censet accusatiuum a uerbo ψεύδονται (id quod ferri omnino non potest.)

Nouissimum locum habeat accusatiuus tempus designans βουλύσιον ὥρην u. 1119, qui pro datiuo apud inferiores poetas non inusitatus uidetur fuisse. (cf. Ap. Rh. Γ. 417. δείελον ὥρην).

---

83) sic enim sine dubio recte restituit Bekkerus pro ὁ κλάσας.

84) nisi fortasse conicias potius scribendum esse οὐδ' ὅτινι κάμπτει κεῖνος πόνῳ. cf. Soph. O. C. 85.

Quibus peractis transeamus statim ad alia.

III. Articulus *ὁ ἡ τὸ*, qui etiam apud nostrum haud raro habet significationem relatiuam, notione demonstratiua saepissime cum particula *δέ* iunctus a substantiuo suo aliis interpositis uerbis seducitur (cf. uu. 312. 320. 342. 348 al.) ita, ut poeta non solum non euitat sed adamat etiam nomen in sequente uersu collocare uu. 203. 317. 346. 355. 406. 490. 586. alias. — Ex neutris adiectiuorum addito articulo et alias et apud Aratum nascuntur substantiua *τὰ ἔσχατα χθονός* u. 646. *τὰ ὑπέρτερα* u. 574. a. i. g. — Mirus uero est usus articuli u. 208 *οἱ τρεῖς ἄλλοι* h. e. ‚praeterea etiam alii tres.'

Adiectiuum. notatu uidetur dignum quod Aratus adamat uti adiectiuis attributiuis pro substantiuorum genetiuis: *πενθερίου δίφροιο* u. 252 *ὀρνιθέης κεφαλῆς καὶ γούνατος* u. 274 *Κητείης λοφίης* u. 364 *ὑπαύχενον ὀρνίθειον* u. 487 a. i. g. quam dicendi rationem in genetiuo casu aptissimam esse non erit quin facile intellegat. contra idem Aratus ut postea imitantes eum alii dicit u. 13. *τετυγμένα ὡράων* pro *τετυγμένας ὥρας* (cf. Ap. Rh. *B.* 346. *σύντρομα πετράων*, Nic. th. 823 *μυραίνης ἔκπαγλον.* et ea quae collegit exempla Berhardy. gr. synt. p. 157.

Quae omnia poetae non tam sunt uituperationi quam laudi. recte uero Bernhardy. gr. synt. p. 430 eum uituperat, quod u. 939 scripsit — *νέφεα*, ‖ *οἷα μάλιστα πόκοισιν ἐοικότες ἰνδάλλονται* improspere imitatus Homerum Od. M. 74 *νεφέλη· — τὸ μὲν οὔποτ' ἐρωεῖ κτέ.* Homerus enim antecedenti *νεφέλη* substituisse uidetur postea in mente uocabulum *νέφος*, id quod uice uersa fieri non posse luce est clarius.[85])

IV. Praepositiones. Ut incipiam a praepositionis collocatione, enotandi sunt duo Aratei uersus, 75 *κεφαλῇ γε μὲν*

---

85) offendit praeterea *οἷα - ἐοικότες*. in cod. Vrat. sane inest *ἐοικότα*. de reliquis tacent editores, ediderunt autem Buhlius *ἐοικότα*, Buttmannus et Bekkerus *ἐοικότες*.

ἄκρῃ || σκέπτεο πὰρ [86]) κεφαλὴν Ὀφιούχεον, ubi uid. Schol., et 85 ὀφθαλμῷ τε καὶ ἐν θώρηκι, ubi fortasse poetae ob oculos obuersabatur Od. M. 27 ἢ ἁλὸς ἢ ἐπὶ γῆς quamquam hunc locum aliter explicandum esse docet Krügerus gr. II. 68. 9 not. [87]) Iam ad singula. Ἀπό c. genet. temporis u. 41 ἀπὸ νυκτός ex Atticorum usu sibi sumpsisse uidetur Aratus, constat certe ab Homero alienum esse. de dicendi ratione ἄπο φρενός h. e. gegen ihren sinn cf. Bast. ad Greg. Cor. p. 210. et Heyn. ad Il. K. 324. — Ἐκ pro ἀπό u. 1. Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα (cf. Schol.: τὸ ἐκ Διὸς ἀντὶ τοῦ ἀπὸ Διός), praeter quem locum nullum habebis nisi notissimmum Theocr. XVII. 1. — Ἐν u. 252 ἐν ποσί a solo datiuo ποσί non differt cf. Callim. h. Dian. u. 207 nihil habent offensionis ἐν Διός u. 224. ἐν βορέω u. 250. ἐν Διΐ u. 253. — Εἰς, εἰς ἐνιαυτόν u. 11. non significat docente Passouio ‚singulis annis' (cf. u. 34) sed ‚per totum annum'; (quamquam h. l. malim cum Clem. Alex. et Grotio legere ἐστέψατο). — Μέσφα praepositionem, a cuius usu post Homerum (Il. Θ 508) poetae prorsus abstinuisse videntur, reduxit Aratus uu. 725. 807. eumque postea secuti sunt Ap. Rh. et Dion. Per. (cf. Haacke de elocut. Ap. Rh. p. 8.) — Διά: τὰς δὲ δι' ἀμφοτέρας — εἰλεῖται u. 45, ubi Schol.: ἀντὶ τοῦ δι' ἀμφοτέρων αὐτῶν ὁ Δράκων εἰλεῖται· πτῶσις ἀντὶ πτώσεως καὶ καλεῖται τὸ τοιοῦτο Ἑλληνισμός· ἢ ὅτι διαχωρίζει ἀμφοτέρας. sed constat saepissime et epicos et lyricos poetas hanc praepositionem in hunc modum usurpari. — Κατά. Bernhardy. gr. synt. p. 242. non iniuria uituperat Aratum propter abusum praepositionis κατά u. 328 sq. ἀλλὰ κατ' αὐτὴν || γαστέρα κυάνεος. — Μετά saepius copulatur datiuo quam genetiuo (672.) de u. 257 μετὰ ἀνθρώπους cf. Voss. l. l. — Praepositionis loco utitur Aratus etiam aduerbio νειόθι h. e. ‚sub' uu. 89. 386. 437. cf. Ap. Rh. A. 63. — Ὑπό cum datiuo Vossius docet u. 198 significare ‚prope,' ‚iuxta,' quod si concedimus, aliis tamen locis huice simillimis, uu. 94. 145. res ipsa flagitat ut sit idem atque ‚sub.'

---

86) πάρ ante κ litteram ostendit Aratum Odysseae imitatorem.
87) equidem coniicio Arato restituendum esse ὀφθαλμῷ τ' ἔνι καὶ θώρηκι.

V. In sententiis relatiuis, finalibus, conditionalibus aliis, quia Aratus omnino nihil nouauit, in calce huius libelli pauca uerba addamus de singulis **particulis.** Ἄν κε u. 562. quod ex omnibus libris mss. recte restituit Villoison. ep. Vinar. Mosc. p. 209. et tuitus est Schaefer. melet. crit. p. 125., Brunckius ad Ap. Rh. Γ. 404 immutandum in ἄν γε censuit. ἄν κε uero duplicem particulam ne ab Homero [88]) quidem alienam esse locupletissimos testes Spitznerus induxit (ad Il N. 127.). — de particularum γὲ μὲν et αὐτίκα usu Arateo accuratissime disseruit Buttmannus excursibus I. II. editioni adnexis. — particulae ἦμος ὅτε coniunctae u. 584 primum apud Aratum reperiuntur; postea usus est iis Ap. Rh. Δ. 267. 452. 1310 cf. Orph. Arg. 121. Schaef. Greg. Cor. p. 367. — ἅπαξ εἰρημένον est ὁππῆμος [89]) u. 568 pro ὁπῆμος, sed ad consuetudinem epicorum formatum, qui ὅππη, ὁππότε dicunt pro ὅπη ὁπότε alia cf. Buttm. gr. ampl. II. p. 357 (281). — de talibus qualia sunt ἀλλ' ἄρα καὶ τὰ (τοὶ, τὴν al.) uu. 180. 648. 699 al. uel καὶ τὰ μὲν οὖν u. 319 818. cf. 244. 335. 348 al. quorum illud exeunti hoc ineunti uersui non nisi explendo est, non oportet faciam uerba.

---

88) cf. Il. N. 127. Δ. 187. Od. E. 361. Herm. ad Orph. lith. u. 247 et Addend. p. XXIV. 89) sic enim recte scripsit Hipparchus.

VITA.

Victor Iulius Loebe natus sum a. d. VII. Kal. Aug. MDCCCXL Altenburgi Saxonum patre Iulio Philosophiae Doctore nunc Rasephasae prope Altenburgum uerbi diuini ministro, matre Augusta e gente Ramshorniana caris mihi et adhuc superstitibus. fidem profiteor euangelicam. ad aetatis annum quartum decimum ab ipso patre litterarum elementis imbutus Gymnasium Fridericianum Altenburgense frequentaui, quod sub H. E. Fossii V. D. auspiciis et tum florebat et etiamnunc floret quam maxime. hinc post septem deinde annos maturitatis testimonio instructus anno MDCCCLXI ineunte in almam litterarum Universitatem Ienensem me contuli studiis philologicis me dediturus. ubi scholis interfui Ill. Goettlingii Nipperdeii Mauricii Schmidtii Cunonis Fischeri Ad. Schmidtii Schleicheri. sequentis anni auctumno Halas Saxonum transmigraui ibique Ill. Th. Bergkium God. Bernhardyum Schallerum Duemmlerum alios audiui docentes. praeterea seminario philologico sodalis ordinarius adscriptus sum et Ienae et Halis,

denique illic Mauricii Schmidtii, hic Th. Bergkii societatum graecarum per summam Ill. horum virorum comitatem participi mihi esse licuit. quibus summis magistris quum omnibus quae debeo eorum nunquam oblitus deprehender, tum praeter ceteros Mauricium Schmidtium Th. Bergkium God. Bernhardyum omni tempore colendos habebo ac uenerandos. Iam triennio academico confecto in Gymnasio Sedinensi magistri munere fungor.

THESES.

I. Aeschyl. Suppl. u. 8. Ignatium Schwerdt errare arbitror scribentem:

ἀλλ᾽ αὐτογενῆ τῶς φυξάνορα.

II. Hom. Od. *Δ.* 252 ex marg. schol. cod. Harl. scribendum esse:

ἀλλ᾽ ὅτε δή μιν ἐγὼν ἐλόευν καὶ χρῖον ἐλαίῳ.

III. Plaut. Stich. act. IV. sc. 2. uersus 51. et 52. (ed. Ritsch.) in unum contrahendos esse hunc:

Iámne abierunt? uíde, Gelasime, quíd capturu's cónsili?

IV. Tibull. II, 2. 21. sq. legendum uidetur:

Hic ueniat Natalis auis prolemque ministret,
Ludat ut ante tuos turba nouella pedes.

V. In Aeschyli Eumenidibus chorum neque quinquaginta neque duodecim, sed quindecim personis constitisse.

VI. Athenis mulieres ad spectandas comoedias esse admissas.